Retslag, Carl Heinrich
Ludwig
De Malebranchio philosopho

DE

MALEBRANCHIO PHILOSOPHO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOSOPHICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
PRO
SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCEDENDIS
DIE XXIII. M. MAII A. MDCCCXLVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS RETSLAG
NEOBRANDENBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:
ALEX. SCHMIDT, PHIL. DR. ET THEOL. CAND.
L. MEYEN, REG. REFEREND.
C. RITTORFF, REG. REFEREND.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PATRI OPTIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

A. DE CARTESIO ET GEULINGIO.

Omnibus philosophis haec quaestio esse proposita videtur vel maximi momenti, qua necessitate infinitum attingatur finito, vel qualem et qua via infinitum cum finito habeat communicationem, vel, ut theologice loquar, qua ratione Deus se revelet homini. Si autem veritatem potentissimam clarissimamque, si omnes leges nostras et firmissimas et communissimas, quae pro omnibus hominibus latae sunt, res agnoscimus infinitas, illa quaestio ita erit ponenda, quo ex fonte hae veritates legesque profectae sint, quaque via in mentem nostram inierint, vel, ut distincte loquar, quaestio cognitionis nostrae erit omnis philosophiae initium. Dum vero mens cum mundo externo est in unitate familiaritateque, id quod ipsi occurrit, bona fide credit, nec quidquam est, quod ipsam impellat, ut has opiniones transgrediatur. Sed omnis progressus natura interior est negatio, neque quidquam invenitur, quod non involvat progressum et vivat progrediens, vita enim est progressus. Mentis autem ne-

gatio est dubitatio, quae eam excitat ex quiete impellitque ut omnes perscrutetur res, donec inveniat veritatem, quae nulla dubitatione exstingui potest, multo magis vixtrix dubitationem ipsam opprimit. Quam mentis dubitationem in finibus theoreticis videmus agentem saeculo MDC ubi inprimis philosophi Italici, ut Campanella, Cardanus et praecipue infelix Jordanus Brunus, qui jam bene intelligens proloquitur, ab initio nobis dubitandum esse [1]) veritatem quaerentibus, maximum atrocissimumque indicunt bellum Scholasticis, qui tamdiu mentes captas tenuerant, in finibus ecclesiasticis autem Lutherus, divinus vir, omnibus populis adspicientibus, medium aevum relinquit conditque aetatem recentiorem liberioremque. Id quod Lutherus modo theologico et tanquam immediato, quod philosophi Italici, alii, multis imaginationibus mixtum affectumque ediderunt, modo philosophico demonstravit in Gallia Cartesius. „Cogito ergo sum" et „illud omne esse verum, quod valde clare et distincte percipio [2]) clare et distincte, ut verbis iisdem utar, pronuntiaverunt, id quod Italici voluerant, atque omnes stimulaverunt mentes, ut arma ferrent contra Scholasticos. Qua de causa apud Cartesium et omnes Cartesianos [3])

---

[1]) Brunus de minimi existentia p. 8.

[2]) Cf. Renati Des-Cartes Meditationes etc. III. edit. Amstelod. 1650. Med. III. pag. 15.

[3]) Inprimis apud Malebranchium etc. De la Recherche de la Vérité VII edit. Paris 1721. Eclairciss. XII. pag. 309 et ubi Aristotelem appellat „ce misérable et pitoyable philosophe" et Liv. I. chap. III. pag. 13 et Cartesii Discours de la méthod. Leyde 1637. pag. 131.

usque ad Leibnitzium [1]) tantum furorem, persaepe injustum, invenimus non in Scholasticos solum sed etiam in omnes veteres philosophos, quia mens ab omni auctoritate abhorrens ex se ipsa novum studit creare mundum. Sed philosophiam Cartesianam perscrutantes, miremur forsitan, quod dubitationem negationemque tam clare pronunciatam in plurimas, ut ita dicam, objectivitatis partes adhibitam minime videmus, quod ex gr. inprimis religionem haud attigit dubitatione dicens „At nihilominus, inquit, memor meae tenuitatis, nihil affirmo: sed haec omnia tum ecclesiae Catholicae auctoritati, tum prudentiorum judiciis submitto" [2]). Quae repugnantiae persaepe in Cartesiana philosophandi ratione obviae nobis fiunt, in universum autem Cartesium physicum non qui religionis elementa perscrutatus sit, philosophum esse contendi potest, ita ut religio, et respublica raro dubitatione vel philosophia tangantur [3]). Ab omni igitur abstracta philosophiae scholasticae objectivitate Cartesius abhorruit, consciusque maximum philosophiae principium de omnibus dubitandi, vel objectivitatem inde ex subjectivitate

---

[1]) Cf. „Schreiben an Gabriel Wagner etc." in Erdmanni edit. pag. 419. b.

[2]) Ren. Des-Cartes principia philos. ultim. edit. Amstelod 1672. Pars IV. pag. 222.

[3]) Cf. Princ. phil. Pars I. pag. 7. Ita si forte nobis Deus de se ipso vel aliis aliquid revelet, quod naturales ingenii nostri vires excedat, qualia jam sunt mysteria incarnationis et trinitatis, non recusabimus illa credere, quamvis non clare intelligamus et ibid. pag. 10 et de „Methodo pag. 20. cf. et Feuerbachii" Darstellung etc. der Leibnitzschen Philosophie, ad notationes pag. 255.

evolvendi prolocutus est; subjectivitatem enim haud esse spernendam contemnendamque rem, quae finibus contineatur, et cui nihil insit rationis, sed revera omnis veritatis, ut ita dicam, criterium, vel ipsam rationem. Subjectivitatem enim esse cogitare (cogito ergo sum) [1]); hoc unicum esse, de quo dubitare non liceat, quia ipsum sit dubitans (h. est id, quod dubitet), quod, quin ipsum dubitet vel sit, nunquam dubitare possit. Itaque omnium firmissimum atque fortissimum id est, quod cogitat dubitatque; dubitantis essentia vero est cogitare vel subjectivitas, quare fit ut illud sit solum, quod omni dubitatione nunquam obrui extinguique possit [2]). Ex cogitatione sola objectivitas vel mundus enucleari potest, [3]) quandoquidem subjectivitas involvit objectivitatem, vel subjectivitas vera ipsa est objectivitas, vel, ut aliis utar verbis, esse et cogitare idem. Hoc enim nescio an ininterna necessitate ex Cartesiano principio, quod omnis philosophiae est principium, sequatur, etiamsi Cartesius ipse omnem hujus principii interiorem vim minime cognoverit. Si vero cogitans intelligitur esse dubitans tantum, cogitans nihil est nisi negatio, ut ita dicam, ab-

---

[1]) Med. III. pag. 15. Med. II. pag. II.

[2]) Med. II. pag. 9. haud dubie igitur ego etiam sum si me fallit (scilic. Deus), et fallat quantum potest, nunquam tamen efficiet, ut nihil sim quamdiu me aliquid esse cogitabo, adio ut omnibus satis superque pensitatis denique statuendum sit hoc pronunciatum: Ego sum, ego existo, quoties ac me profertur, vel mente concipitur, necessario esse verum.

[3]) Discours de la méthode pag. 131. Et me résolvant de ne chercher plus d'autre science que celle qui se pourrait trouver en moi-même, ou bien dans le grand livre du monde etc.

stracta, quae omnia quidem negat, sed negata non in se recipit; cogitans igitur, ut venia sit verbo, scepsis mala tantum est, e qua nihil demonstrari et explicari possit. Vera enim dubitatio se ipsam negat, negationeque ipsa aliud firmum parit, quod, ut jam supra vidimus, cogitans quidem est, quod esse indole sua negans neque quidquam ponens nisi se ipsum a Cartesio demonstratur, ita ut ex cogitante minime ad cogitatum vel ad objectivitatem transgrediamur, id quod cogitat vel cogitans enim est substantia, quae alteram nunquam ascequitur substantiam [1]). Quare factum est, ut hanc philosophandi methodum ad abstractam cogitantis et cogitati distinctionem pervenire oporteat, ita ut cogitans una, cogitatum vel cogitatio altera sit substantia, quae per se percipiantur nec ullam interiorem inter se habere queant conjunctionem. Cogitatum nempe est mente excepta, quodcunque per ideas cognoscimus tanquam speculo usi, ita ut ea in quae cogitans proxime incidat, revera sint ideae, cogitatum autem sit id quod ideae exprimant significentque. Ideae igitur a Cartesio nec percipiuntur ut substantiae, ut attributa, ut modi. Utrum igitur sint mentis modificationes, nec ne, perinde est, cogitatum esse nunquam possunt, quia nihil sunt nisi instrumenta, quibus res materiales sub mentem cadere valent. Itaque cogitans (id, quod cogitat) omni actione carere necesse esset, si ille principio usus esset constanter; nam actio est relatio ad aliud, animus autem nullam aliam habet ad aliud relationem nisi negativam, quonium omnium rerum negatio tantum est, qua negatione essentia constituatur. Abstracta

---

[1]) Med. III. pag. 21.

vero negatio se ipsam negat dissolvitque, ita ut animus negans tantum sit merum nihil vel mera indifferentia. Quam mentis definitionem in philosophia Cartesiana non reperimus, e contrario Cartesius ipse id quod ex principiis suis constanter sequitur, refutat. Sed modo maxime ab his principiis abhorrente mens immediate influit in corpus et hoc in illam [1]. Una substantia cum altera non habet quidquam connexionis conjunctionisque internae, quomodo igitur animus agat in corpus, quaeramus? Haec quaestio a Cartesio non solvitur modo philosophico, sed objectione, secundum Cartesii principia mentem agere minime posse in corpus, nescio a quo facta Cartesius respondit, substantias inter se nullam habere posse conjunctionem, sed substantiae affectiones multo magis ab substantia abhorrere quam substantia ab substantia, ita ut haud substantia agat in substantiam sed unius substantiae in alterius agant affectiones. Quae responsio minime satis rem declarat, et nescio quae corporis affectio sit, quae in glandula pineali cerebri modo directo immediatoque mentis cogitationes producat [2] Etsi cogitationes glandulae motione

[1] Cf. Med. VI. pag. 36. .... dum autem imaginatur, se convertat ad corpus et aliquid in eo ideae vel a se intellectae vel sensu perceptae conforme intueatur. Ibid. pag. 40. et 41. plane certum est meum corpus, sive potius me totum, quatenus ex corpore et mente sum compositus, variis commodis et incommodis a circumjacentibus corporibus affici posse. cf. Princ. phil. pag. 13 et p. 20 et Pars IV. p. 215. cf. Passiones animae per R. Des-Cartes Amstelod 1672 P. I. Art. XVIII. et Art. XIX. a. a. l. l.

[2] Cf. Princ. phil. P. IV. pag. 213 et 215 et Pass. anim. P. I. Art. XIII. p. 8. a. a. l. l.

productae sunt et cum affectionibus quidem conjunctae, tamen non affectiones tantum glandula mota in mente oriuntur, sed una cum his affectionibus cogitationes vel perceptiones purae. Omnes Cartesii libros perlustrantes de hac re claram distinctamque notionem non percipiamus, potius ille philosophus hac in difficultate acquiescit, ejusque ignarus posteris hanc quaestionem, ut ex suis principiis resolvant, relinquit. — Primus nobis obvenit Geulingius [1]) qui, ingenio quidem minime tam speculativo profundoque quam Cartesius praeditus, sed secernens omnia mente, perbene intellexit, unam substantiam hac via alteram haud attingere posse, aliud tertium esse oportere, quod illas conjungat; quae conjunctio externa ex substantiarum essentia haud demonstratur, sed Cartesiana illa difficultas interna reddit externam, ita ut omnes actiones materiae animique mutuae a Deo efficiantur, nec perceptae a mente nostra quasi miracula sint nobis. Quo factum est, ut maxima cogitantis et cogitati, vel subjectivitatis et objectivitatis separatio in Geulingii philosophia occurrat. Cogitatum autem ipsum non percipitur modo cogitativo sed materia est, et co-

---

[1]) Nominis scriptione usus sum, qualis in libello: Arnoldi Geulincs ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ sive Ethica etc. per Philaretum etc. edit. ultim. Amstelod 1709 et ibidem in dedicatione Philareti latine versum invenimus; in eodem libello nomen legis scriptum: Geulincs, Geulinck, Geulinxs, Geulincx, Geulinx sed Geulincx rectissimum esse videtur, quum in ejusdem auctoris Saturnalibus ita scriptum sit, quae illo anno, quo secessit (1669) tertio edita ab auctore ipso recognita sunt et aucta, cf. Arnoldi Geulincx Antverpiensis Saturnalia etc. Edit. III. ab auctore recognita et aucta. Lugduni Batav. 1669.

gitans, ubi cogitat, recipit objectivitatem vel materiam [1]) modo miraculoso in se ipsum. Malebranchius demum, ut jam Cartesius id quod immediate sub mentem cadere possit, vel quod immediatum mentis objectum sit ideas vel spirituale quoddam esse demonstrat, quamobrem contendit quidem, materiam cum ideis necessariam non habere cohaerentiam, atque mentem ab ideis indole naturaque sua maxime discrepare, attamen mentem cum ideis vel ratione essentialiter conjunctam esse philosophatur, ita ut hic subjectivitas cum objectivitate essentialiter sit conjuncta. Quod jam attinet ad religionem, quae omnis philosophandi rationis format fundamentum, Geulingius multo magis quam Cartesius ex ratione scholastica excessit, et quanquam religiosissimus esse videtur, totus rationalismo, ut ita dicam, quam apud posteriores reperimus philosophos, captus est, dixit enim „enimvero, inquit, nihil est tam magnum, sublime, sanctum, quod non aliqua ratione Rationis examini subjiciatur" [2]). Ita Car-

---

[1]) In Ethica non leges, mentem per ideas cognoscere mundum materiamque, sed mundum esse immediatum mentis objectum ubique elucet, quod maximum Dei miraculum nominatur. — Geulingii Metaphysicam in hac bibliotheca regia non reperiri, graviter molesteque fero. Quaestiones, quas Saturnalia jam supra citata continent, nihil de his rebus tractant, quaestio eorum septima ex. gr. est pag. 202 an deceat ingenuum adolescentem, vestem ad Novos Mores aptare? ejusdem fere generis ceterae sunt quaestiones viginti septem.

[2]) Ethic. Tract. I. cap. II. p. 52 et Tract. I. cap. I. p. 37. Inter praecepta rationis hoc unum: Omnia contemnenda praeter Deum et rationem et Tract. V. pag. 380. Ratio enim tam pulchra atque divina ut neminem habeat inimicum, nisi ignorantem. Tract. I. cap. II. pag. 74. Fructus obedientiae est

tesianam dubitationem in omnes objectivitatis partes induxit, nec ulli subjicit se auctoritati ecclesiasticae (quamobrem vitam degit inquietam et multis insidiis circumdatam) ut Cartesius, attamen uno libelli loco parenthesin legimus mirabilem, ubi theologice loquitur, tanquam hac auctoritate captus vinctusque, de diabolo disserens: quid enim inquit, sacrae paginae de eo dicant et ibi lege et pie crede" [1]). Tali modo apud omnes hujus aetatis philosophos discere possumus, et quam sit difficile, ab omnibus juventutis praeceptis opinionibus dissidere, et persaepe nos in pristinos recidere errores, praecipue corpore animoque annorum onere debilitatos. Cartesianam methodum, quod eam perceperat, Geulingius posuit [2]) in primis in Ethica, quam ex ratione, auctoritate ecclesiastica relicta, novam restituit, rationem enim esse legem et imaginem Dei in mentibus nostris [3]). Nosce te ipsum [4]), omnis philosophandi rationis esse primum, unde sequatur et despectio sui et inspectio Dei [5]). „Hoc autem, inquit, inspiciendo nos discamus, quod ad totam conditionem humanam nihil posse nos, nihil valere nos, nihil nobis in illam juris esse; totam

---

Libertas; nemini enim servit, qui Rationi servit sed liberrimus est hoc ipso.

[1]) Cf. Ethic. Tract. IV. p. 350.

[2]) Quamobrem in ejus libello, Ethica, ab Andrea Hollebeck videmus carmen his vocibus inscriptum: In Ethicam, fundamentis, a quibus hactenus collapsa fuerat restitutam per D. Arnold. Geulinck.

[3]) Ethic. Tract. III. p. 322 et Tract. I. cap. I.

[4]) Ibid. Tract. II. pag. 285.

[5]) Ibid. Tract. I. Sect. II. p. 107.

illam pertinere ad alterius alicujus potestatem." [1]) Inspectione nostri igitur necessario nos despiciamus oportet, quia illa sumus subjecta, quorum natura est passivitas sola, omnis enim actio a Deo venit, ut postea Malebranchius et Spinoza dicunt; Deum autem unicam substantiam, unicam esse realitatem, jam Geulingius distincte pronunciat: „In hoc mundo, inquit, extra me nihil agere possum, omnis actio mea quatenus mea est, intra me manet." [2]) Quaenam actio mea sit, quaeramus? Nulla nisi spectare mundum et corpus nostrum, „nudus sum spectator hujus machinae." [3]) Unde vero id quod mundum spectare possim? Geulingius „Tantum modo, inquit, specto hunc mundum: ipsum tamen mundus non potest se mihi spectandum exhibere. Solum Deum mihi exhibet illud spectaculum: Idque modo ineffabili, incomprehensibili, quapropter, pergit, inter stupenda Dei miracula, quorum me in hoc mundo spectaculo dignatur, ego ipse spectator maximum ejus sum et juge miraculum." [4]) Quid jam de ratione fiet? Rationem hominum mentibus inesse Dei imaginem legemque, vidimus, quare non sumus illi nudi spectatores, finiti despiciendique, sed nobis inest divinum quoddam, hominis igitur subjectivitas dissolvi videtur ratione, vel Dei lege imagineque. Geulingii autem ratio, immediate recepta praesumtaque, et externo modo tantum cum mente con-

---

[1]) Ibid. pag. 143.

[2]) Ibid. pag. 139.

[3]) Tract. I. Sect. II. pag. 125 et cf. ibid. pag. 133: nudus sum hujusce mundi contemplator: spectator sum in hac scena, non actor.

[4]) Ibid. pag 142.

juncta est, ejus naturam non constituens, et in Deo quoque rationem, ut infra in Malebranchiana philosophia videbimus, inhaerere haud animadvertimus, sed Dei emanationem tantum esse. Ratione Geulingiana, quamquam supra dixerat „enimvero, inquit, nihil est tam magnum, sublime, sanctum, quod non aliqua natione Rationis examini subjiciatur" ad objectivitatem pervenire non possumus, nam ratio ipsa nihil est nisi subjectiva agendi lex, quare format ethices principium. Objectivitatem spectamus tantum, minime cognoscimus, nam de religione disserens „Religio est, inquit, ea pars pietatis, quae quod humana Ratione attingere non potest sub divina revelatione amplectitur" [1]) et porro „Religio innititur existimationi illi, quam de Deo et ejus Ineffabilitate concipimus, cum enim inspiciendo ipsum clare videbimus, multa ab eo circa nos facta esse, quorum modum nullum cogitatione ac Ratione nostra assequi possumus." [2]) Spectatio autem mundi quaedam cognoscitur esse objectivitas, cujus mentem nostram subjectivam participem esse maximum est miraculum, quod Malebranchius declarat. Quamquam ille, ut Geulingius, animum esse per se subjectivitatem vel facultatem passivam tantum, contendit, Geulingium tamen philosophandi ratione superat, quia animum essentialiter cum illa objectivitate conjunctum esse voluit, etiamsi objectivitatem ad animi essentiam non attinere, sed objectivitatem extra subjectivitatem manere perhibet. Itaque Malebranchius non spectat modo mundum, sed etiam intelligit percipitque, non percipit

---

¹) Ethic. Tract. II. §. 12. p. 295.

²) Ibid. p. 296.

autem per se, mentisque actione, sed essentiali cum Deo rationeque conjunctione. Apud Geulingium in summum cacumen mentis subjectivitas excendit, apud Malebranchium objectivitas tota in subjectivitatem revertitur, sed externa via rationeque ut infra videbimus.

B. CARTESIANA METHODUS CUM MALE BRANCHIANA COMPARATA.

Methodus Malebranchiana in universum recepta est ex Cartesiana analytica, nihilominus autem ad hanc philosophandi rationem non extrinsecus adhibita, sed ex intima philosophiae essentia naturaque hausta. In Cartesiana autem philosophia videmus methodum analyticam puriorem minusque mixtam. Malebranchius vero hac in re quoque ad Spinocae philosophiam quasi transit, quod ejus methodo [1]) magna fortisque synthe-

---

[1]) Cf. Cartes de Methodo II. pag. 12. Tertium est cogitationes omnes, quas veritati quaerendae impenderem, certo semper ordine promoverem incipiendo scilicet a rebus simplicissimis et cognitu facillimis ut paullatim et quasi per gradus ad difficiliarum et magis compositarum cognitionem ascenderem etc. Cf. Malebr. de la Recherch. de la Vérité, Tom. II. d. l. méthod. P. II. chap. I. Le principe de toutes ces régles est, qu'il faut toujours conserver l'évidence dans ses raisonnemens, pour découvrir la vérité sans crainte de se tromper etc.. . que nous ne devons raisonner que sur des choses, dont nous avons des idées claires: et par une suite nécessaire, que nous devons toujours commencer par les choses les plus simples et les plus

seos pars inhaeret, quam synthesin [1]), cum analysi mixtam, religiosum efficit Malebranchii ingenium. Sed maxima dominansque methodi pars contendi potest esse analytica, id quod ipse ut Cartesius conscius proloquitur. Perceptiones purae evidentesque via analytica natae a Malebranchio comprehenduntur, etiamsi persaepe modo theologico, sed theologia ab philosophia haud separanda est, e contrario Malebranchius ipse utramque scientiam conjungere studet, ita ut religio Malebranchiana, quae satis cum theologia catholica consentit, ejus philosophiae fundamentum constituat efficiatque ut permulta exstent partes speculativae, quae methodo magis analytica non facile oriantur. Hanc ob rem factum quoque est, ut Malebranchius appelletur mysticus [2]), quia partes philosophiae maxime speculativae, synthetice natae immediato modo, apparent specie religiosa et tanquam mystica, ut apud Boehmium philosophantem videmus.

---

faciles et nous y arrêter fort longtemps avant que d'entreprendre la recherche des plus composées et des plus difficiles.

[1]) Quin etiam conscio modo haec synthesis ostenditur cf. Ibid. qu'il faut découvrir par quelque effort d'esprit une ou plusieurs idées moyennes, qui puissent servir comme de mésure commune pour reconnaître par leur moyen les rapports, qui sont entr'elles.

[2]) Cf. Rixneri histor. philos. III. B. pag. 86 et Tennemanni. Gottschedus Malebranchium appellat Quakerum philosophicum cf. lib. Pet. Bayle histor.-krit. Wörterb. übers. v. Gottsched. Leip. 1843. Art. Averroes, p. 392 b. in anno.

CAPUT PRIMUM.

DE ANIMO FINITO VEL DE MENTE.

Psychologia Cartesiana ab Malebranchiana, quamquam secundum principium una eademque est, in eo satis dissentit, quod hic in illius principiis usurpandis constantior erat atque majorem operam rebus impendit psychologicis. Principio enim tanquam comtempto, Cartesius in mente offendit ideas [1]), vel innatas, vel adventicias, vel mentis actione productas, innatae ideae ad mentis naturam non pertinent, sed origine tantum cum mente conjunctae sunt, ut autem ideae in mentem extrinsecus a corporibus ineant, ut adventiciae, fieri non potest, quia animus omnia negat externa excluditque a se ipso, id quod unicam ejus actionem constituit. Negans, dubitansque tantum animus ut subjectivus percipitur, qui nihil agere potest nisi negare, nisi dubitare, et qui sempiterna dubitatione quidquam positivi efficere nequit, ita ut ideas producere ipse non valeat, ideae enim sunt cogitationes et animus cogitans tantum est. Hanc vero repugnantiam noster philosophus perbene intellexit atque contendit, mentem creare ideas minime valere [2]), mentem esse sub-

---

[1]) Med. III, pag. 17 et Passion Anim. P. I. pag. 22—25. Tract. de homine 66—70. p. 123—126

[2]) Malebr. Rech. d. l. vérit. Liv. III. chap. VI. pag. 220 β. Eclairciss. s. l. III. Liv. X. Eclairciss. p. 253 α. Je suis certain, que les idées des choses sont immuables etc. Or je ne vois

jectivam finitamque rem [1]), quae nullam possideat relationem ad infinitas res, ideas enim infinitas esse. Mentis essentiam naturamque in eo consistere, quod habeat recipiendi facultates tantum duas, non operationes [2]), facultates vero habere, hoc non nisi passivum quoddam esse. Hae sunt mentis facultates [3]), perceptiones recipiendi vel cogitandi et volitionis, vel voluntatis. Recipiendi facultatem in se ipsa esse actionem, Malebranchius non intellexit, mens igitur passiva tantum est, Quamquam mentem cognoscere non possumus nec unquam intelligere omnes ejus modificationes [4]) infinitas, quia de ea non

---

rien en moi d'immuable ni de nécessaire etc. Réponse à Mr. Regis chap. II. p. 165 α. C'est à dire que ces idées ne se trouvent qu'en Dieu, qui seul peut agir dans notre âme etc. a. a. l. l.

[1]) Ibid. L. V. chap. V. pag. 345. Que sans Dieu nous ne sommes rien, que sans lui nous ne pouvons rien, nous ne connaissons rien, nous ne voulons rien, nous ne sentons rien. Réponse à Mr. Regis. Que notre esprit soit fini, cela est certain etc. Chap. II. p. 162 β.

[2]) Ut apud Cartesium cf. Princ. phil. P. I. pag. 9. Quippe omnes modi cogitandi, quos in nobis experimur, ad duos generales referri possunt: quorum unus est, perceptio sive operatio intellectus; alius vero, volitio sive operatio voluntatis etc.

[3]) Recherch. L. I. chap. I. pag. 2 β. ibid. pag. 3 β. . . ainsi la faculté de recevoir différentes idées et différentes modifications dans l'esprit est entièrement passive et ne renferme aucune action. Cf. Cartesii Pass. anim. P. I. Art. XVII. p. 10... exceptis nostris cogitationibus, quae praecipue duum genera sunt, quaedam enim sunt actiones animae, aliae ejus passiones sive affectus etc.

[4]) Recherch. Eclairciss. XI. p. 274 α. Mais certainement nous n'avons point d'idée de notre esprit qui soit telle que nous

habemus ideam sed obscuram conscientiam vel internum, sensum, multa tamen de mente ille disserit, ita ut Cartesius, qui mentem nobis corpore notiorem esse contenderat [1]. Maximum Malebranchianae psychologiae vitium in eo vertitur quod una ex parte mentis percepit naturam esse subjectivam nec quidquam nisi facultates habentem, altera ex parte mentem essentialiter cum ratione aeterna infinitaque conjunctam esse intelligit [2], ita ut mens per se percepta non sit ut revera est, continet enim objectivitatem vel rationem cum essentia sua conjunctam, atque ipsa essentiae suae pars. Itaque mens est substantia finita createque, scilicet per se intellecta, multasque habet infinitasque modificationes, quae nobis incognitae sunt, et haec substantia duas amplectitur facultates passivas, cogitandi et volitionis. Sed ista mens et subjectiva et passiva et finita et creata cum Deo vel cum ratione et objectiva et activa et infinita et increata conjuncta est essentialiter [3], ita ut nunquam extra hanc conjunctionem

---

puissions découvrir en la consultant les modifications dont il est capable etc. et p. 245. où est donc l'idée claire de l'âme afin que les Cartésiens la consultent et pag. 277 *β*. — Vid. pag. 1. quae interesset. Cf. et Recherch. L. V. chap. XIII. p. 59 *α*. . . . ils doivent savoir qu'on ne connait point l'âme ni ses modifications par des idées. prenant le mot d'idée dans son véritable sens . . . mais seulement par sentiment intérieur a. a. l. l.

[1]) Cf. Cartesii Med. II. pag. 9.

[2]) Cf. Recherch. Préface (pag. 1), et fere ubique librorum.

[3]) Cf. Recherch. L. V. chap. IV. p. 325 *α*. Nous découvrons par la vue claire de l'esprit, que nous sommes unis à Dieu d'une manière bien plus étroite et bien plus essentielle qu'a notre corps et ibid. Préface . . mais le rapport qu'elle (sc. l'âme)

existere possit; Geulingianam igitur mentis puram subjectivitatem hac deficatione exstinctam videmus. Altera ex parte cum corpore mens [1]), minime autem essentialiter sed externo vinculo colligata est, sed hoc vinculo dissoluto et percipi potest et existere. Golligatio autem mentis cum corpore debilitat minuitque conjunctionem cum Deo [2]), ut quo firmius sit cum corpore vinculum, eo longius a Deo discedat, sed peccato originali etiam cum Deo unio haud tota dissolvitur. Sic animus finitus per se perceptus partim intellectus est vel facultas perceptionum recipiendarum, partim voluntas vel facultas volitionis. Mox aliam adhuc facultatem ad has duas addi videbimus, quo facto animae passivitas magis etiam tollitur, atque animam et activam esse negari posse non videtur; quomodo tamen Malebranchius mentis activitatem evitare studeat, infra magis elucebit.

A. §. 1. De diversis cognoscendi rationibus.

Pura mentis passivitas atque vacuitas completur perceptionibus, quas mens in se concipit, quia immediate sub eam cadunt; perceptiones igitur objectivitas est, quam assequitur mens essentiali cum ratione aeterna conjunctione. Quarum perceptionum qualis sit relatio ad corpora, infra

---

a à Dieu est si essentiel qu'il est impossible de concevoir que Dieu puisse créer un esprit sans ce rapport.

[1]) Ibid. Préf. p. 1. mais le rapport de notre esprit à notre corps, quoique naturel à notre esprit n'est point absolument nécessaire, ni indispensable.

[2]) Ibid. Préface pag. 1.

explicabimus, hic contemplandae sunt, quoad pertinent ad mentem et ad rationem. Qua contemplatione facta duo nobis occurrunt perceptionum genera [1]), purarum et sensibilium; illas mens recipit ex Deo vel immediata cum ratione cohaerentia, has in se ipsa tenet, quae mentis modificationes esse ipsae intelliguntur. Quamobrem forsitan putemus, animam in se ipsa habere perceptiones vel ideas ut in psychologia Cartesiana, sed res ita se habet revera, ut hanc repugnantiam, quae in animae Malebranchianae natura inhaerere videtur, perbene dissolvere valeamus. Perceptiones sensibiles revera sunt purae [2]), ex Deo receptae, quas autem mens colligatione cum corpore ad res materiales propensa modificat et quasi opacat obumbratque, ita ut has perceptiones vel ideas infinitas immutabilesque, ut infra inter nos constabit, nunc afficiat ratione sua finibus constricta. Maxima tantum diligentia claraque analysi mens puras has perceptiones infinitasque liberare potest a finibus et puras reddere ex sensibilibus. Difficultas ex Malebranchianis principiis ut tota tollatur, fieri non potest, semper enim habebit mens tertiam modificandarum perceptionum facultatem. Tales mentis modificationes h. e. tales modificationes, quales mens efficit, sed minime quibus modificatur, velut modificationes mentis sunt semper percipiendae, sunt ex. gr. odor, color, dolor, sapor, aliae res [3]). Quae perceptiones et purae et sensibiles vel ideae nobis repraesentant res materiales

---

[1]) Cf. Recherch. L. I. chap. I. pag. 3 α.

[2]) Cf. Recherch. L. I. chap. XIII. p. 58 β.

[3]) Cf. Recherch. L. I. chap. XII. p. 53 β. et 54 α.

tantum [1]), quas per eas solas cognoscere valeamus; per se ipsae enim videri non possunt, ut de ideis disserens et de rebus materialibus diffusius explicabo. Si noster philosophus, ideas solas mentis objecta esse posse, contendit, objectivitatem notionum haud acute percipit, acutius hasce res quaerentes, invenimus, aliud esse, quod mentis objectum esse possit, etiamsi modo diverso; in hac re nobiscum Malebranchius consentit, quod aliud quoque cognoscimus praeter res materiales, sed hoc aliud mentis objectum fieri non posse, philosophatur. Rebus materialibus exceptis et Deus et alii animi finiti existunt extra nos, denique mens habet sui ipsius conscientiam. Ad perceptiones igitur et puras et sensibiles, quibus res materiales intelliguntur, mentis objectum et aliud accedit. Primo mens Deum et quod sit et quid sit, intelligit intima essentialique cum eo conjunctione, nec per perceptionem vel ideam [2]) ut Cartesius dixerat, nec obscura internaque conscientia, sed nescio quo modo, contenderim vero ex Malebranchii ingenio religioso, Dei ipsius revelatione [3])

---

[1]) Cf. ibid. L. III. P. II. chap. I. Je crois, que tout le monde tombe d'accord que nous n'apercevons point les objets qui sont hors de nous par eux-mêmes... Elle ne les voit donc point par eux-mêmes et l'objet immédiat de notre esprit, lorsqu'il voit le Soleil, par ex., n'est pas le Soleil, mais quelque chose qui est intimement unie à notre âme et c'est ce que j'appelle idée; et p. 204 α. et 205 β.

[2]) Cf. Malebr. Entretiens sur la Métaphysique et sur la Religion. Rotterd. 1688. Entr. II. pag. 44. Mais prenez garde que Dieu ou l'infini n'est pas visible par une idée qui le représente. L'infini est à lui-même son idée. Il n'a point d'archétype.

[3]) Recherch. L. I. P. II. chap. VII. p. 222 β.

et naturali et singulari (legimus enim in sacris literis, Deum esse). Animos finitos alios (potius animos puros vel angelos et homines) conjectura tantum exstare scimus [1]), attamen aliis locis, illos animos verisimile esse se per se ipsos nobiscum communicare posse contendit [2]), mentem ipsam se conscientia interna sentire [3]), jam supra intelleximus. Si conjunctione cum ideis essentiali haec mentis objectivitas in mentem externa via regreditur, conscientia interna mens sibi ipsi objectum est, quae objectivitas interna est intelligenda, quamquam noster contendit, mentem indole naturaque sua subjectum, objectum sibi ipsi esse non valere. Conjectura autem, per quam alios animos cognoscimus finitos, satis levis est, nihil enim aliud significare videtur nisi conscientiam internam. Ita ubique abstracta mentis subjectivitas dissolvitur, atque objectivitas penitus abhorrens ab subjectivitate, semper ad intimam cum ea conjunctionem, philosopho nescio, regreditur.

§. 2. De imaginatione et de sensu.

Quod spectat ad duo perceptionum genera, mens sub duplici apparet specie [4]), perceptiones puras enim recipiens apparet pura vel intellectus purus, sensibiles

---

[1]) Ibid. chap. VII. pag. 225 β.

[2]) Ibid. chap. I. p. 205 β.

[3]) Ibid. L. V. chap. XIII. p. 59 α.

[4]) Modo directo hanc non pronuntiat M. sententiam, sed ex iis, quae de his rebus philosophatur, abunde elucet, cf. Recherch. L. I. chap. I. pag. 4 β. et ibid. pag. 3 α.

vero aut imaginatio est, aut sensus. Mens pura igitur, quia perceptiones purae ex Deo tantum excipiuntur, anima cum Deo essentialiter conjuncta est et nondum corporis colligatione affecta debilitataque, quam igitur raro invenimus puram, sed acuta via analytica nanscisci possumus. Imaginatio quoque et sensus essentia sua indoleque intellectus purus est [1]), sed talis, qualis corporis connubio opacatus affectusque materia finita, vel qualem anima modificat. Malebranchius ipse definit imaginationem sensumque, mentem esse perceptiones a corporibus excipientem, sed ex tota ejus philosophandi ratione viaque intelleximus, mentem ex corporibus nihil recipere posse, nec quidquam conjunctionis inter mentem et corpus consistere et utrumque esse substantiam absolute separatam [2]). Si mens perceptiones puras modificat redditque obscuras, quod corpus in ipsam agat secundum leges pro animae et corporis conjunctione latas, sensus speciem habet, si vero modificatio ab mente efficitur propria (peccato originali effecta) inclinatione, oritur imaginatio [3]). Sensus igitur praesentes res materiales animadvertit, imaginatio absentes.

---

[1]) Ibid. pag. 4 α. et j'appelle cette faculté ou cette capacité qu'a l'âme de recevoir toutes ces choses Entendement et ibid. pag. 3 α.

[2]) Nihilominus corpus habet facultatem animam eademque via, quaecunque animam ineunt, modificandi; cf. Recherch. L. I. chap. XII. p. 53 α. . . . il faut considérer, que l'âme est unie si étroitement à son corps et qu'elle est encore devenue si charnelle depuis le péché et par là si incapable d'attention etc. a. a. l. l.

[3]) Cf. Recherch. L. I. chap. IV. p. 16 β. et 17 α.

B. §. 1. De voluntate.

Alteram mentis facultatem principalem intelleximus esse voluntatem. Quomodo, quaque via inter se conjunctae sint facultates, quaerentibus ex Malebranchianâ philosophia respondere non possumus, nihil inest vinculi nec interni nec externi, analytico modo duae seperatae in unum haud comprehenduntur nec ostenditur, utra sit facultas gravior majorque. Voluntate quoque mentis passivitatem in activitatem transire negari non posse videtur, attamen Malebr. activitatem perbene omittere scit. Si mentis voluntas a Deo creata esset reale quid, a Deo peccati origo necessario deducenda esset, sed, quidquid animus finitus agit creatque nihil est vel passivum quoddam. — Voluntas est revera generalis mentis inclinatio ad bonum universum ducens [1]), quae a Deo data indole essentiaque sua est bona pulchraque, itaque voluntas est voluntas Dei ipsa; Deus enim nihil aliud voluit creavitque nisi bonum vel se ipsum. Quae voluntas, quaeque inclinatio intelligendae sunt in anima ut facultates tantum, nec prius agentes, quam mens eas ad rem definitam singularemque dirigit, sed hac animae actione negativa [2])

---

[1]) Cf. Recherch. L. I. chap. I. p. 5 *β*.

[2]) Repugnantias de voluntatis activitate et passivitate conferas: Recherch. L. I. chap. I. p. 5 *β*. Mais il n'en est pas de même de la volonté, on peut dire en un sens, qu'elle est agissante, parceque notre âme peut déterminer diversement l'inclination ou l'impression que Dieu lui donne, et Eclairciss. I. Dieu ne nous pousse sans cesse et par une impression invincible vers le bien en général (et cf. Recherch. supra p. 5.: De sorte

modo inclinatio bona generalis reddi potest mala prava-que, sed quaevis voluntas specialis sit mala haud oportet. Hac de re latius diffusiusque infra disseram in capite quod sequitur. Sin autem Malebranchius dicit, voluntatem non ad animae essentiam pertinere, sed eam semper comitari, repugnat sibi ipse, quia supra contenderat, animam duas habere facultates, unam intellectum, alteram voluntatem, qua ex re tamen elucet, voluntatem ad mentis essentiam pertinere, quoniam hae duae facultates ejus essentiam naturamque constituunt. Alia ex parte animae facultates nihil significare videntur nisi ipsus cogitandi modificationes, animus finitus enim, vel mens est res co-

que par ce mot de volonté ou de capacité qu'a l'âme d'aimer différens biens, je prétens désigner l'impression ou le mouvement naturel, qui nous porte vers le bien indéterminé et en général) et Eclairciss. ibid. p. 188 α. Dieu ne nous porte point nécessairement ni invinciblement à l'amour de ce bien etc. et ibid. p. 188 β. Voici dans ce que fait le pécheur. Il s'arrête, il se repose; il ne sait point l'impression de Dieu; il ne fait rien et ibid. 191 α.... Il est certain..., que Dieu produit et conserve aussi en nous tout ce qu'il y a de réel et de positif dans les déterminations particulières du mouvement de notre âme. — Cf. Réflexions sur la Prémotion physique; p. Malebr. Paris 1715. XII. p. 82. Je conçois qu'il y a dans l'âme deux puissances, ou deux activités différentes. La première n'est proprement que l'action de Dieu en elle. C'est que Dieu l'a créé sans cesse avec le désir invincible d'être heureuse ou qu'il la meut sans cesse vers le bien en général etc.... Mais la seconde puissance ou activité de l'âme etc.... L'âme a un vrai pouvoir non de s'empêcher d'être mal vers le bien apparent, tout qu'il lui paraît bien: mais elle a un vrai pouvoir de résister ou de consentir à la motion qui suit naturellement de l'apparence de ce bien.

gitans, quo loco cum Cartesio noster philosophus consentit, ita ut imaginatio, sensus, voluntas ut animae modificationes intelligendae sint. Modificationes vero rei alicujus non ad ejus essentiam pertinere dicuntur, unde sequitur, ut voluntas animae facultas esse nunquam possit, sola enim adsit facultas perceptionum recipiendarum, vel cogitandi. Unde autem proficiscuntur modificationes, quaeramus? Necessario alteram in mente facultatem habere debemus, scilicet perceptiones receptas modificandi, qua e facultate et voluntas et imaginatio et sensus, aliae mentis modificationes, originem ducant, ita ut tum modificationes non constituant essentiam mentis, quae natura sua indoleque sit et facultas perceptionum recipiendarum et facultas perceptiones receptas modificandi, neque quidquam nisi hae duae facultates. In ejusdem modi repugnantias plures etiam in rebus incidemus metaphysicis.

§. 2. De libertate.

Bonam mentis inclinationem generalem reddere singularem specialemque libertatis est [1]). Haec igitur voluntatem semper comitatur, et ipsa ut voluntas indole sua cognoscitur esse bona [2]), sed in ea inhaerere dicitur pec-

[1]) Recherch. L. I. chap. I. p. 5 β . . . et par celui de liberté je n'entens autre chose que la force, qu'a l'esprit de détourner cette impression vers les objets, qui nous plaisent et faire ainsi que nos inclinations naturelles soient terminés à quelque objet particulier.

[2]) Ibid chap. II. p. 10 α. La liberté nous est donc donnée de Dieu, afin que nous nous empêchions de tomber dans l'erreur. Car la vérité ne se trouve presque jamais qu'avec l'évidence.

candi facultas. Quibus de rebus hic quidquam firmi constituere non possumus, noster enim philosophus ipse de his rebus philosophans multis versatur in difficultatibus, equidem vero quando de voluntate Dei disseram ut solvam operam dabo. Erratio modo in voluntate, modo in libertate, modo in cognitione ipsa inhaerere videtur. In hominis actione singulari voluntatis relatio ad libertatem et cognitionem ita se habet. Mens, scilicet perceptiones earumque relationes mutuas perscrutata, ad voluntatem adducit has, ex conjunctione cum ratione acceptas vel cum corpore colligatione adumbratas. Id quod mentis quaestione perscrutationeque nascitur, judicium naturale appellatur; voluntas scilicet ex judicio naturali liberum producere et promovere debet. Qua adductione repraesentationeque facta, voluntas cum libertate conjuncta aut quiescere potest in judicio naturali, quod igitur consensu reddit liberum, aut mentem cogere, ut iterum novam perceptionum instituat quaestionem, donec perceptiones puras evidentesque inveniantur [1]). Sin autem voluntas cum rebus obscure neque evidenter cogitatis consentit, libertate sua abutitur atque peccat erratque. Quam sit haec philosophandi ratio levis negligensque, omnibus facile patet hominibus. Bonum malumque tractans ex sententia ab Malebranchio aliis locis pronunciata hasce res magis speculative perceptas explicabo.

§. 3. *De inclinationibus et passionibus.*

Mens, quae natura essentiaque sua nihil fuit, nisi duae tantum facultates, ut supra vidimus, a Deo adhuc im-

---

[1]) Recherch. L. I. chap. II. p. 10 β.

pressiones accepit, vel accipit continuo, quae ad bonum ducere dicuntur mentem: inclinationes et passiones. Mens igitur et facultas est ad aliquid inclinandi, quae tamen facultas cum voluntate una eademque esse videtur [1]). Voluntas enim ut inclinatio et passio est inclinatio generalis ad bonum ducens, ita ut voluntas, inclinatio et passio gradu tantum dissideant [2]), natura et indole autem eandem exprimant rem. Quare repugnantia, quod supra duas tantum facultates menti attribuerat, satis dissolvi potest [3]). Voluntas, inclinatio et passio cum tribus cognitionis (primae facultatis) partibus bene congruunt, voluntas cum intellectu puro, inclinatio cum imaginatione et passio cum sensu. Quantum mentis facultates magna cum corpore colligatione corrumpantur, ut noster contendit, hic quoque ostendi potest. Voluntas scilicet est facultas quae minime hac cohaerentia videtur esse corrupta [4]), ut intellectus purus, nescio igitur an hac de causa fiat, ut Deo quoque attribuatur sola, sicuti mens pura vel ideae purae in Deo inveniuntur, nec vero imaginatio nec sensus, nec inclinatio nec passio. Passio maxime corrupta volitionis facultas est ut sensus cognoscendi [5]). Apud Malebranchium inclinationes et passiones ad voluntatem externo modo accedere cernimus, attamen ipse, inclinationes et passiones unius esse substantiae, sed gradu discrepare philosophatur. Voluntatem autem

---

[1]) Ibid. L. IV. chap. I. p. 251.

[2]) Ibid. pag. 251 β. et chap. XI. pag. 292.

[3]) Vid. pag. 14. et annotat 5.

[4]) Recherch. L. I. chap. I. pag. 5 β.

[5]) Ibid. L. IV. chap. I. p. 249 β. et L. V. chap. I. p. 317 β.

ab inclinationibus passionibusque diversam esse perhibet, quod eam perceptionum repraesentatio antecedat, inclinationes passionesque [1]) autem immediato modo ad res referuntur. Ex iis, quae supra disseruimus, patet, voluntatem nunquam errare valere, ut Malebranchius demonstrat, sed jam supra differentiam intelleximus, quod modo voluntas, modo libertas errare dicitur; sententias illius dispersas considerantes nec in voluntate errorem inesse nec in libertate contendere possumus, sed potius in inclinatione et passione. Voluntatem cum libertate conjunctam esse; si libertate recte utatur mens, nunquam eam errare, unde sequitur, ut voluntas semper cum libertate conjuncta libertatis usu minime erret. Quaeramus, num voluntas, nisi libertate utatur, vel abutatur, quod unum idemque significet, fiat inclinatio vel passio, ita ut passiones inclinationesque erratorum causae sint intelligendae? Inclinationes et passiones referri ad res, priusquam perceptiones adductae sint, ut noster contendit, cogitari non potest, res nempe, ad quas referuntur inclinationes passionesque nihil aliud sunt, nisi perceptiones antea menti adductae. Sed discrimen in hoc consistit. Voluntas, cui adducuntur perceptiones et purae et sensibiles, accipiens puras, utitur libertate sua atque est voluntas vera, acquiescens autem in perceptionibus sensibilibus [3]), neque libertate usa, vel est inclinatio, vel passio; inclinatio est, si perceptiones sensibiles ex imaginatione oriuntur, passio si ex sensibus. Has definitio-

---

1) Ibid. L. V. chap. XII. p. 385 *β*.

2) Recherch. L. I. chap. II. p. 7 *α*. ibid. chap. XII. p. 53 *α* et *β*.

3) Ibid. L. I. chap. I. p. 5. et chap. II. p. 7.

nes Malebranchii veras sententias esse, quamvis ipse tales non demonstret, percipere possumus; definitiones autem a philosopho conscio ipso institutas supra commemoravimus, incertas esse indefinitasque. Quibuscum rebus a me explicatis hoc etiam consentit, quod noster de erratis disserens, dicit erratorum causam principalem esse inclinationis ad bonum universum ducentis vim potestatemque vel inquietem voluntatis. Quae inclinatio mentem ad res finitas ducit, ut eas perscrutetur, sed ei non prius dat quietem, quam inveniat perceptiones puras, sed non acquiescens in sensibilibus, huc illuc versat volutatque mentem, quia nusquam reperit bonum universum [1]), ita ut perceptiones sensibiles, quae adducuntur voluntati universae vel volitiones facultati, accipiantur ab inclinationibus passionibusque, quoniam voluntas cum libertate juncta, quae nihil est nisi libertas ipsa, purarum tantum perceptionum adductione nasci potest. Libere igitur tantum judicamus, si puras habemus perceptiones, vel si ex voluntate cum libertate conjuncta proficiscitur judicium, nihilominus inclinationes passionesque pravae malaeque non intelligendae sunt, sed natura essentiaque bonae [2]), menti a Deo datae, minime autem ad judicandum sed ut primum impetum, ut ita dicam, judicandi faciant. Illas inclinationes ad libertatis notionem progredi oportet, nec retineri obsolutas, ita ut ex iis nascatur libertas. In libro,

---

[1]) Recherch. Eclairciss. I. Tom. II. p. 192 *β*. Le repos de l'âme (ou de la volonté) en Dieu est juste, car c'est le vrai bien, la vraie cause du bonheur. Ce même repos dans la créature est déreglé parceque nulle créature n'est cause véritable du bonheur.

[2]) Recherch. L. IV. chap. XIII. p. 308 *α*.

Recherche de la Vérité, multas et singulares enumerat et inclinationes et passiones, vel potius multa errata peccataque quae ex inclinationibus proficiscantur; ad explicationem meam hoc quoque accedit, quod nusquam disserit de voluntatis erratis. Sin autem de mentis purae erratis loquitur [1]), sibi haud constat, multo magis haec errata enumerat, quae falso majorique purarum perceptionum desiderio oriuntur, ut exempla ab eo citata docent. Inclinationes et multo magis passiones ex colligatione cum corpore nasci, elucet, quod utraque cum spirituum animalium motione conjunctae sunt, ita ut haec motio earum causa esse videatur, revera autem causa sit occasionalis [2]); Deus vera est causa, quare inclinationes, quod spectat ad essentiam, habentur bonae.

---

[1]) Recherch. L. III. de l'Entendement ou de l'esprit pur (vel des erreurs de l'Entendement).

[2]) Ibid. L. V. chap. I. 317 β. La cause naturelle ou occasionelle de ces impressions est le mouvement des esprits animaux etc.

CAPUT SECUNDUM.

DE REBUS METAPHYSICIS.

A. §. 1. De ideis.

Mentis essentiam secundum Malebranchium meram fuisse vidimus subjectivitatem, quae tamen impedire non potest, quin objectivitas ingrediatur compleatque eam. Objectivitatem mentis et Deum et ideas et animos finitos purosque et mentem ipsam esse cognovimus, quomodo autem Deus et ideae ad mentem relatae diversae possint percipi, ex iis, quae sequuntur, elucebit. Vera, Malabranchio demonstrante, mentis objecta sunt perceptiones et purae et sensibiles, vel ideae [1]. Mens autem, quod est mera subjectivitas vel nihil nisi facultas [2], in se ipsa non offendit nec reperit ideas, ut Cartesius vult; ideae enim non ad mentis essentiam naturamque pertinent sed potius sunt mentis objecta, itaque aliud quoddam ac mens ipsa [3]. Ideas quoque esse infinitas, immutabiles et ejusdem cum Deo substantiae, mentem autem rem finitam infinitas res amplecti minime valere: finita enim nullam habere ad infinita relationem [4]; ideas igitur in alia re

---

[1]) Recherch. P. II. chap. I. p. 204 *α*.

[2]) Ibid. L. I. chap. I. p. 3 *β*.

[3]) Cf. supra Eclairciss. X. pag. 253 *α* et Réponse à Mr. Regis chap. II. p. 165 *α*.

[4]) Traité de la Nature et de la Grâce etc. dernière édit. Rotterd. 1712. P. I. pag. 2 Addition.

infinita et immutabili existere oportere [1]), ne a Deo quidem creatas esse. Malebranchius omnes refutat opiniones [2]), quas philosophi de ideis tuiti sunt, omnibusque his opinionibus abjectis, ideas esse spirituales [3]), quia a rebus materialibus, quas repraesentent, maxime dissideant, attamen habere existentiam realem [4]), quia affectae sint differentibus proprietatibus, atque differentes repraesentent res, demonstrat. Unde sequitur, ut ideae sint perfectiores rebus materialibus res [5]); hac de causa vero nos ideas procreare non valere, quoniam perfectius etiam

---

[1]) Cf. Entret. s. l. Métaph. I. Entret. p. 31. Si nos idées sont éternelles, immuables, nécessaires, vous voyez bien, qu'elles ne peuvent se trouver que dans une nature immuable.

[2]) Recherch. L. III. Part. II. chap. I. p. 206 β. Nous assurons donc, qu'il est absolument nécessaire, que les idées que nous avons des corps et tous les autres objets que nous n'appercevons point par eux-mêmes, viennent de ces mêmes corps, ou de ces objets: ou bien que notre âme ait la puissance de produire ces idées: ou que Dieu les ait produites avec elle en la créant, ou qu'il les produise toutes les fois qu'on pense à quelque objet ou que l'âme ait en elle-même toutes les perfections, qu'elle voit dans ces corps: ou enfin qu'elle soit unie avec un être tout parfait et qui renferme généralement toutes les perfections intelligibles ou toutes les idées des êtres crées.

[3]) Rech. L. III. P. II. chap. III. p. 209 α. Personne ne peut douter, que les idées ne soient des êtres réelles, puisqu'elles ont des propriétés réelles; que les unes diffèrent des autres et qu'elles représentent des choses toutes différentes.

[4]) Ibid. On ne peut aussi raisonnablement douter, qu'elles ne soient spirituelles, et fort différentes des corps, qu'elles représentent.

[5]) Ibid. cela semble assez fort pour faire douter, si les idées par le moyen des qu'elles on voit les corps ne sont pas plus nobles que les corps mêmes.

altiusque procreassemus quam Deus ipse [1]), qui mundum materialem creasset. Ideas autem infinitas esse immutabilesque, demonstrationem probationemque nusquam invenies, multo potius praesumitur [2]). Sin autem ideae habeant existentiam realem, neque sint animae modificationes, nihilominus non necesse esse [3]), res materiales, quas ideae repraesentent, exstent, e contrario multos homines maximo errore laborare, quod hoc putent; finitas res enim cum infinitis nullam habere conjunctionem. Substantia infinita, quae omnes amplectitur ideas, Deus [4]) ipse vel ratio aeterna est, quae vero inter Deum et rationem intercedat differentia, infra magis demonstrabitur. Ideae igitur in mente praesentes sunt, quod mens cum Deo conjuncta est indole sua, quamobrem nunquam ideae nos deficiunt, quod nunquam extra essentialem cum Deo conjunctionem existimus. Qua via autem referantur illae ad rationem vel Deum, M. definit duplici modo. Partim illas dictitat esse quantitativas, quantitate inter se differre, singulasque spatiis intelligibilibus separari [5]), ut res ma-

---

[1]) Ibid.

[2]) Eclairciss. X. pag. 253 α. Je suis certain que les idées des choses sont immuables et que les vérités etc. or je ne vois rien en moi d'immuable ni de nécessaire etc.

[3]) Cf. Recherch. L. III. P. II. chap. I. p. 204 β a. a. l. l.

[4]) Cf. Ibid. pag. 222 α.

[5]) Eclairciss. VI. p. 212 α. Mais n'est-il pas évident, qu'il y a des dehors et des éloignemens, qu'il y a des espaces intelligibles dans le monde intelligible, qui est l'objet immédiat de notre esprit? ... Le corps, que nous voyons (i. e. corpus nostrum) est un corps intelligible et il y a des espaces intelligibles entre ce corps intelligible et le soleil intelligible, que nous voyons; comme il y a des espaces matériels entre notre corps et le soleil, que nous regardons.

teriales spatiis materialibus, partim magis speculative philosophatur, ideas singulares nihil esse nisi rationem [1]), sed nihilo restrictam, ut apud Cartesium infiniti restrictione negationeque nanciscimur res finitas. Ideas autem in Deo vel in ratione separatas esse spatiis intelligibilibus, imago tantum est a rebus deducta materialibus, scilicet quod hae res, quales sunt, tales videmus; hae vero separatae sunt spatiis materialibus, eodem modo ideas, quae illas repraesentant, separari spatiis, necesse est. Inter ideas, res intelligibiles, nihil aliud interesse nisi intelligibilia, spatia igitur esse intelligibilia oportere, ita ut spatia materialia repraesententur spatiis intelligibilibus, ut res materiales rebus intelligibilibus vel ideis. Quia ideae porro et perceptiones nullo modo differunt (discrimen quoddam potest constitui, quod perceptiones sunt ideae relatae ad mentem) ideae per se purae ubi ineunt mentem [2]) esse possunt et purae et sensibiles. Perceptiones vel ideae sensibiles in Deo cerni non possunt, purae multo magis sensibiles fiunt in mente, ejus cum corpore colligatione, quae igitur puras in Deo contentas reddit sensibiles, clara autem analyseos via sensibiles iterum reddi queunt purae. Ideae clarae, purae, ejusdem substantiae cum Deo archetypa sunt, quorum ad exemplum Deus creavit res materiales, quae res ut imagines percipiendae sunt, ideae autem originales archetypa, ita ut non ex rebus materialibus proficiscantur, sed hae res a

---

[1]) Recherch. L. III. P. II. p. 219 β . . . . et toutes les idées particulières que nous avons des créatures, ne sont que des limations de l'idée du Créateur etc.

[2]) Réponse à Mr. Regis chap. II. p. 165 α.

Deo creatae sint ad idearum exemplum. Ideas essentiae divinae partem constituere probatur, idea repraesentari non potest nihilum [1]) in Deo enim nulla invenitur negatio, positiva tantum hic est substantia, e qua omnis privatio excluditur atque negatio.

§. 2. De ratione aeterna et immutabili.

Omnes ideae in unum comprehenduntur ratione, quam indole naturaque infinitam immutabilemque esse oportet, quandoquidem ideae ipsae sint infinitae et solum infinitum complecti possit infinitum. Ratio igitur omnium idearum unitas est, quae et in Deo invenitur [2]) et in hominibus, quia mens essentialiter cum Deo conjuncta est. Idearum unitas excludit autem animos finitos, quos ratio non complectitur, hi igitur extra rationem exstare videntur; quae tamen exclusio tollitur essentiali cum eo conjunctione. Hoc modo ratio, si noster intelligeret, quid es-

---

[1]) Recherch. L. VI. P. II. p. 74 α. Car le premier principe de nos connaissances est que le néant n'est pas visible et ibid. L. III. chap. IX. p. 233 β.

[2]) Cf. ibid. X. Eclairciss. p. 253 β. Il faut donc conclure, que la raison, que tous les esprits consultent, est une raison immuable et nécessaire. De plus il est évident que cette même Raison est infinie ... pag. 254 α. Mais s'il est vrai, qu'elle est infinie, s'il est vrai, qu'elle est immuable et nécessaire: il est certain qu'elle n'est point différente de celle de Dieu même. Cf. Traité de Morale p. l'auteur d. l. Rech. d. l. Vérit. Rotterdam 1684. P. I. chap. I. La raison de l'homme est le Verbe, ou la sagesse de Dieu même, car toute créature est un être particulier et la Raison de l'homme est universelle. Cf. Réponse à Mr. Regis chap. II. p. 162.

set essentiale et essentia, mentis essentiam constitueret ipsam: praesumptio autem ex philosophia Cartesiana recepta, mentem esse meram subjectivitatem, ut Malebranchius ad hanc profundam transgrediatur perceptionem, non est passa, quamquam uno loco [1] jam hanc inscius pronuntiat. Tali modo separatio abstracta, vel ut ita dicam, dualismus subjectivitatis et objectivitatis per totam Cartesii Cartesianorumque philosophiam permanat et apud Spinozam demum solvitur. Si apud Cartesium rationis notio jam immediate exstitit, multo magis apud Geulingium fidei ecclesiasticae opposita praecipue est Malebranchius, qui, quid sit ratio, speculative demonstrat, quique primus rationem revera refert ad mentis et Dei essentiam (quamquam modo adhuc imperfecto) nec in eo quivit, quod ratio sit imago et lex Dei [2]. Primus igitur nobis occurrit, qui rationem esse divinum cognovit [3], non detestabilem finitamque rem. In religionis finibus defectionem ab medio aevo vel ingenio scholastico Malebranchius perficet, quae res eo videtur mirabilior, quod ipse et theologus et ecclesiasticus catholicus fuit. — Ratio autem cognoscenda est ut nihil nisi extensio intel-

---

[1]) Entret. s. l. Mét. XIV. Ent. p. 602. Car nous sommes tous raisonnables et essentiellement raisonnables.

[2]) Cf. p. 10. Annot 2. ratio enim est lex et imago dei in mentibus nostris. Geulincx Ethic.

[3]) Cf. pag., quae antecessit annot 2. et cf. Entret. s. l. Met. I. Entr. p. 2. En effet la foi doit régler les démarches de notre esprit: mais il n'y a que la souveraine Raison qui le remplisse d'intelligence et cf. Traité de Morale chap. V p. 74. La foi et la Raison nous assûrent, que Dieu seul est la cause véritable de toutes choses etc.

ligibilis [1]), quae extensionis materialis archetypum est infinitum; ut res materiales sunt diversae extensionis materialis modificationes, ita ideae extensionis intelligibilis, quamquam noster, Deum et rationem non participes esse modificationum, contendit. Ratio modo percipitur externa ratione ut omnium idearum locus mundusque intelligibilis, ut mundus materialis est communis materialium locus, modo ut identitas unitasque, quae omnes continet ideas in se ipsa, ita ut ideae singulae nihil significent nisi rationem ipsam, quae nihilo negationeque sit restricta. Ratio enim tota cum mente conjuncta est una idea infinita vastaque, quae obscuro modo tantum menti praesens est, eamque semper comitatur, ubi autem homo cogitare vult, hanc ideam vastam, immensamque restringit negatione, quia ut supra vidimus facultate affecta est modificandi, redditque ex immensa obscuraque singulam claramque. Quaevis idea singularis igitur percipienda est ut ratio vel extensio intelligibilis nihilo negationeque affecta vel finibus restricta, nihilominus vero ideae ipsae infinitae immutabilesque esse dicuntur. Itaque ratio et infinita

---

[1]) Cf. Entr. s. l. Mét. Entr. I. pag. 31. Si nos idées sont éternelles, immuables, nécessaires vous voyez bien, qu'elles ne peuvent se trouver que dans une nature immuable. Oui, Ariste, Dieu voit en lui-même l'étendue intelligible, l'archétype de la matière, dont le monde est formé et cf. Réponse à Mr. Regis II. chap. p. 162. Cela étant ainsi ce qu'on appelle voir les corps, n'est autre chose qu'avoir actuellement présente à l'esprit l'idée de l'étendue qui le touche et le modifie de diverses couleurs et ibid. p. 163 *a.* Je pourrais encore prouver après St. Augustin, que c'est en Dieu, que l'on voit l'idée de l'étendue, par la raison que cette idée est éternelle, immuable, nécessaire, commune à tous les esprits et à Dieu même.

est et immutabilis, et necessaria et ejusdem cum Deo substantiae, neque ab eo creata. [1])

§. 3. *De ordine aeterno et immutabili vel de legibus infinitis.*

Quum rationem consideremus, non spectantes ad unitatem, quae omnes complectitur ideas, sed ad differentiam rationi ipsi immanentem inhaerentemque [2]) h. est. ad differentiam, quae inter ideas intercedit, videmus ordinem immutabilem vel leges infinitas. Inter ideas scilicet invenitur discrimen, aliae sunt, quae Deo propiores

---

[1]) Animadvertas certamen inter fidem ecclesiasticam et rationem cf. Recherch. L. I. chap. II. pag. 14. La première est, que je ne parle point ici des choses de la foi, que l'évidence n'accompagne pas comme les sciences naturelles ... de sorte, que les mystères de la foi étant d'un ordre surnaturel. .... Il faut se soumettre également à la foi et à l'évidence etc. Entret. etc. I. pag. 2. En effet la foi doit régler les démarches de notre esprit; mais il n'y a que la souveraine Raison, qui le remplisse d'intelligence cf. pag. 35. annot. 3 et Entret. s. I. Mét. XIV. Entret. p. 568. Notre foi est parfaitement raisonnable dans son principe etc. Recherch. L. I. chap. II. p. 14 *β*. En un mot pour être Fidèle il faut croire aveuglement, mais pour être Philosophe il faut voir évidemment et ibid. L. I. chap. V. p. 20 *α*. Mais pour Dieu, qui seul est le vrai bien des esprits ... il ne se contente pas d'être aimé d'un amour aveugle et d'un amour distinct, il veut être aimé d'un amour éclairé et d'un amour de choix.

[2]) Traité de Moral chap. V. p. 87. La vérité et l'ordre ne consistent que dans les rapports de grandeur et de perfection, que les choses ont entre elles cf. Eclairciss. X. p. 258 *β*.

esse intelliguntur, aliae, quae remotiores magisque dissidentes; quod discrimen inter ideas ab aeterno et in aeternum constitutum immutabilis est ordo, quem Deus ipse exstinguere non valet, qui multo magis voluntati imperat [1]). Quem secundum ordinem Deus amat hasce ideas, eodem modo nos amare eas necesse est. Si ideae omnes inter se essent pares, discrimine interno ablato, Deus ipse res materiales videret pares, ut nos videremus; eadem enim relatio, quam inter ideas reperimus, inter res inest materiales, ut spatia quoque intelligibilia cum materialibus et quantitate et qualitate consentiunt. Ideae Deo propiores sunt perfectiores, remotiores autem imperfectiores, quid autem sit perfectio idearum in universum, infra elucebit.

§. 4. a) De Deo, quod existat.

Dei existentiam probare, non est philosophiae Malebranchianae, ingenium ejus religiosum recipit Deum immediate in philosophiam, ita ut Deum existentem in hujus philosophiae initio inveniamus, quare liber: Recherche etc. incipit ab Augustini sententia, supra mentem nihil esse, praeter Deum solum, nihil vero infra praeter corpora. Dei existentia igitur primum est, de quo dubitari non potest, nec invenimus probationem, quod Deus existat, sed Cartesii auctoritate captus ejus probationem

---

[1]) Réflex. s. l. Prém. phys. XIII. Mais comme Dieu agit toujours selon ce qu'il est, selon la vraie immuable justice, c'est à dire selon l'ordre immuable des perfections, qu'il renferme dans son essence etc. et Recherch. Eclairciss. p. 254 *a*.

exponit atque recipere videtur. Quam ubi explicare videtur, eam potius ex sua philosophandi ratione se ipso inscio intelligit aliter, quare non Cartesianam explicat sed propriam, sed ea philosophiae extrinsecus accedit, nec ex principiis progressa. Cartesius ita incipit dicens considerantes mentem invenire nos in ea permultas ideas, inter quas infinitae rei ideam etc., hac a demonstratione jam Malebranchius maxime abhorret, quandoquidem in mente nostra nihil invenimus considerantes, nisi duas facultates et recipiendi ideas et volitionis, minime autem ipsas ideas, quas infinitas et ejusdem cum Deo substantiae in mente exstare maxima cum conscientia negat, atque ab initio eae habentur omnes infinitae, quas nihil aliud, complecti possit nisi ratio ipsa vel Deus, qui igitur in primis praesumatur. Ubi Cartesianam explicat demonstrationem et, ut jam diximus, dissidere non videtur, sic philosophatur: revera habemus notionem substantiae infinitae, sed habemus tantum essentiali mentis nostrae cum Deo conjunctione h. est. cognoscimus, Deum esse, quia nobiscum essentialiter conjunctus est[1], quae explicatio tantum valet, quantum Cartesii probatio. Si in mente nullas inesse ideas vidimus, ut Cartesius contenderat, tum inprimis Dei nullam existere posse ideam vel archetypum [1]); ideam enim esse, quamquam infinitam, rem singularem tamen restrictamque, qua nunquam percipi possit ens et absolutum et sine omni restrictione;

---

[1]) Entret. s. I. Mét. II. Ent. pag. 44. Mais prenez garde, que Dieu ou l'infini n'est pas visible par une idée qui le représente. L'infini est à lui-même son idée. Il n'a point d'archétype.

Deum existere, intelligere tantum nos, quia conjuncti simus cum eo. [1])

b) De Deo, quid sit.

Cartesius nihil fere ultra appetiit nisi, Deum existere, demonstrare, de essentia Dei haud multum disseruit. Ejus in primis interfuit, ut essentiam tantum explicaret, quantum satis esset physico. Cartesium jam in universum cognovimus physicum, quare religionem, rem publicam raro dubitatione tactas videmus, sed philosophiae principia tantum universae, in primis physicae instituit. Deum non esse deceptorem [2]), sed substantiam infinitam, quae omnes in se contineat perfectiones, fere omnia sunt, quae de Deo disseruit; ceterum Deus extra mundum, elatus de rebus finitis versatur in aeterna tranquillitate, nec miscetur inter res humanas. Deus igitur a Cartesio ut a theologis percipitur transcendens, apud Malebranchium autem eum videmus descendentem ex throno, qui super omnes mundi res elatus est, ineuntem in mundum sed eodem modo transcendentem omnes singulas res, ita ut apud nostrum nobis maximum obveniat pantheismi vestigium, quod a Spinoza perficitur planeque explicatur. Apud quem omnis Dei transcendentis (theologico modo) opinio evanescit, omnibusque rebus ille immanens tantum intelligitur sed una in omnibus rebus est potentia agens creansque, a qua, quidquid reale est,

---

[1]) Recherch. L. III. chap. VII. p. 222 *β*. Il n'y a que Dieu que l'on connaisse par lui-même. . . . Il n'y a que Dieu nous voyons d'une vue immédiate et directe etc. a. a. l. l.

[2]) Cf. Cartesii princ. philos. P. I. pag. 2.

agitur. Hanc ob causam in hac philosophia Deus fit iterum transcendens omnes res finitas, sed modo speculativo vel spirituali, non theologico vel locali. Malebranchii autem fuit, Deum ex abstractione separationeque a rebus finitis in mundum reducere, quamquam res finitae evanescunt; itaque quodcunque realiter existit, Deus est, mundus vero per se, quamquam a Deo creatus, nihil, id quod magis philosophice demonstrat Spinoza. Quidquid cernimus (Malebranchio demonstrante) Deus est, vel essentiae partem divinae; res exstare finitas nec videre nos, nec posse nos probare, credere nos tantum oportere, sed exstare eas nihil valentes vel evanescentes. Contemplandus est Deus, et quod spectat ad ejus naturam infinite compositam et quod ad unitatem identitatemque. Quod attinet ad naturam compositam Deus est ens infinite perfectum, ens sine restrictione [1]), quod omnes complectitur res [2]), atque intelligendus est animorum locus [3]) vel idearum mundus [4]), in quo continetur ratio

---

[1]) Cf. Entret. s. l. Mét. II. Entret. p. 44. L'être renferme toutes choses: mais tous les êtres et crées et possibles avec toute leur multiplicité ne peuvent remplir la vaste étendue de l'être.

[2]) Recherch. L. IV. chap. XI. p. 292 *a*. On ne voit la vérité, que lorsqu'on voit les choses, comme elles sont, et on ne les voit jamais, comme elles sont si on ne les voit dans celui qui les renferme d'une manière intelligible.

[3]) Ibid. L. III. P. II. chap. VI. p. 222 *a*. Demeurons donc dans ce sentiment, que Dieu est le monde intelligible, ou le lieu des esprits de même, que le monde matériel est le lieu des corps.

[4]) Ibid. L. V. chap. V. p. 316. Mais il y en a très-peu, qui sachent avec évidence, que ce soit s'unir avec Dieu selon

aeterna infinitaque, quae iterum omnium idearum unitas est, vel extensio intelligibilis, archetypum extensionis materialis. Sicut Deus omnes complectitur ideas, omnes animi finiti in eo sunt, est igitur ille, ut ita dicam, locus mentium, in se continet substantiam cogitandi. Atque Malebranchius aliis locis, mentis nostrae esse ideam in Deo, contendit, quam nos cum corpore colligati, cognoscere non possimus, repraesentat igitur, ille animos finitos quoque vel mentes ideis vel archetypis [1]), ita ideae mentium sed non mentes ipsae cum Deo conjunctae esse videantur. Attamen raro hanc invenimus sententiam, multo magis ubique fere mentes ipsas cum Deo essentialiter conjunctas esse demonstrat. Jam prius hujusce modi repugnantias in Malebranchii philosophandi ratione cognovimus, praesertim disserentes de mentis subjectivitate naturaque finita. Itaque Deus compositus est partim ratione aeterna vel ordine immutabili, quae pars etiam extensio intelligibilis vel idearum summa nominari potest, partim omnibus mentibus finitis vel cogitandi substantia. Quarum Dei partium rationem aeternam perbene, mentes finitas autem minime possumus cognoscere, nihilominus jam supra vidimus, mentem nostram

---

les forces naturelles, que de connaître la vérité: que ce soit une espèce de possession de Dieu même, que de contempler les véritables idées des choses. Cf.

[1]) Réponse à Mr. Regis chap. II. p. 172. De même si l'âme se voyait ou si elle connaissait clairement sa nature par la contemplation de l'idée ou de l'archétype sur lequel Dieu l'a formée etc. ibid. p. 171. C'est donc que l'âme ne se voit pas; parcequ'effectivement l'idée ou l'archétype de l'âme ne lui est pas manifesté.

conscientia interna nos percipere, aliorum autem hominum mentes exstare conjectura tantum perhibemus. Itaque quod attinet ad essentiam Dei compositam, jam multa nobis supersunt incognita tenebrisque obscura, et supererunt, donec mens corporis colligatione obumbratur. Materia vel extensione materiali excepta, omnia in Deo esse, Deique substantiam constituere intelligimus. Si vero noster, quamquam, infinitum cum finito non habere societatem, affirmat, animos tamen finitos in Deum ingredi philosophatur, non eo panteismi pervenit, ut materiam vel corpora ad Dei essentiam pertinere contendat; multo magis severe extensionem intelligibilem separat et materialem et corpora [1]), ut infra clarius videbimus, necessario ex Deo minime emanasse demonstrat [2]). Itaque in phisosophia Malebranchiana duos, ut ita dicam, mundos inesse reperimus, primum substantiam infinitam vel Deum, in quo continentur et extensio intelligibilis et omnes animi finiti (vel eorum ideae), alterum mundum materialem, qui omnes amplectitur res materiales. Quorum mundorum uterque per se existit, quamquam materialis

---

[1]) Recherch. Eclairciss. VI. p. 212. Certainement Dieu voit qu'il y a des espaces entre les corps qu'il a créés; mais il ne voit pas ces corps ou ces espaces par eux-mêmes. Il ne les peut voir que par les idées qu'il en a, que par des corps et par des espaces intelligibles etc.

[2]) Entret. s. l. Mét. VI. Entr. p. 195. La notion de l'être infiniment parfait ne renferme point de rapport nécessaire à aucune créature. Dieu ne suffit à lui-même. La matière n'est donc point une émanation nécessaire de la Divinité. — Donc il n'est pas possible de démontrer en rigueur qu'il y a des corps etc. — Ibid. p. 207. Or la foi m'apprend que Dieu a créé le ciel et la terre.

de Dei voluntate dependet, et Deus ipse ei permultas perfectiones attribuit. Homo autem, ens compositum, quod spectat ad mentem, ad Deum pertinet vel ad mundum intelligibilem, quod spectat vero ad corpus, mundi materialis est pars. Si vero ut mentium mundus vel locus intelligitur Deus, mentes ad substantiam infinitam pertinent, nec formant alteram substantiam finitam, ut a Malebranchio praesumptum est, duae adsunt substantiae, nempe finita vel materialis et infinita vel divina, sin autem mentes ideis repraesentantur in Deo, haec quidem aufertur repugnantia, sed in alias incidimus, majores fere difficultates, ut supra satis superque explicui. Sicut Deus multarum particeps est modificationum, ita omnis excluditur ex eo negatio; ubi autem ideae in Deo inesse dicuntur singulae, negatio semper in Deum regreditur nec unquam repelli potest, ideae enim singulae, separataeque spatiis intelligibilibus, plus minus sunt negatione affectae, nec, quamquam infinitae, totam possident realitatem. Sin autem ideam singularem percipimus ut Deum vel potius rationem negatione restrictam, ita ut negatio ad Deum vel rationem aggrediatur cum mente conjunctam; minime autem in Deo per se existente inveniatur, negationem in eo inesse ex principiis Malebranchianis affirmari non oportet. Quam ad speculativam sententiam hoc quoque accedit, quod Deus, ubi cogitat, se ipsum cogitat [1]) h. est omnes una cogitationes, quae cogitari possunt, cogitanti una omnes ideae sunt praesentes vel tota ratio aeterna

---

[1]) Entr. s. l. Mét. VIII. Entr. p. 282. Dieu est à lui-même l'objet immédiat de ses connaissances... Une de ses pensées n'enferme point, comme en nous, le néant de toutes les autres.

vel extensio intelligibilis; nobis enim cogitantibus una tantum idea est praesens, vel tota quidem ratio sed negatione restricta, Deo autem cogitanti haec tota ratio praesens nec negatione nihiloque restricta. — Quod porro ad Dei unitatem spectat, hic est, quamquam infinite compositus, una tamen atque unica substantia aut unitas, quae omnes solvit differentias et ad unum comprehendit, sed modo incomprehensibili nobis [1]). Deum igitur esse essentiam simplicissimam [2]), quae omne amplectatur, quod sit et esse possit. Hanc quidem simplicitatem unitatemque in primis Malebranchius appellat Dei essentiam, quae in eo consistit, quod ille est absolutus. Quam essentiam absolutam [3]) (vel Esse absolutum, être absolu), quamquam esse unitatem, quae a nobis nec percipi nec intelligi possit; nos enim substantiam divinam videre, non

---

[1]) Réflex. sur l. prémot. phys. p. 37. . . . Je crois, par ex., que Dieu est partout et partout tout entier. Et certainement on peut faire contre l'immensité divine, bien des difficultés, qu'il est impossible d'expliquer clairement.

[2]) Récherch. L. IV. chap. XI. pag. 297 *a*. Mais l'idée de Dieu . . . ce n'est point une idée composée qui renferme quelque contradiction; il n'y a rien de plus simple, quoiqu'elle comprenne tout ce qui est et tout ce qui peut être.

[3]) Entret. s. l. Mét. II. Entret. p. 46. Vous ne le voyez point tel qu'il est: parceque quoique vous voyez l'infini ou l'être sans restriction vous ne le voyez que d'une manière fort imparfaite. Vous ne le voyez point comme en être simple. Vous voyez la multiplicité des créatures dans l'infini de l'être incréé mais vous n'y voyez pas distinctement son unité . . . Mais vous ne découvrez pas cette proprieté qui est essentielle à l'infini, d'être en même temps un et toutes choses et ibid. VIII. Entret. p. 283.

quod spectet ad unitatem, sed quod ad differentias ei immanentes. Quam unitatem existere fide credere nos oportere. Malebranchium hanc unitatem non intelligi contendere, ex methodo ejus elucet, eique omnia esse apparent evidentia claraque, quae analyseos via sunt nata, et, quamquam ad ejus philosophandi rationem synthesis quoque tanquam mystica accedit, perceptiones hac synthesi ortas magisque speculativas non percipit ut tam claras evidentesque. Mentis communis philosophia, quae analyseos via rationeque abstracta utitur, nunquam unitatem intelligere valet et differentiam in una eademque re.

c) De Dei voluntate.

Deum animum esse, qui cogitet et velit, sed non ut nos cogitemus vel velimus. Quam acutius explicantes sententiam, probemus forsitan ex Malebranchii principio, Deum velle unum idemque quod nos; Dei autem cogitationem a nostra dissidere [1]), jam supra commemoravimus. In essentia Dei inhaeret ratio aeterna et immutabilis, vel ordo aeternus infinitusque; ille igitur, quamquam liber, rationis mandatis parere et obedire debet [2]). Ratio enim est lex infinita, quam Deus sibi ipsi dedit ab aeterno, vel quae ejusdem substantiae et eodem modo aeterna ejus essentiam constituit; quare fit, ut ratio sit Dei voluntas ipsa. Cujus libertas ablata fortasse videtur,

---

[1]) Entret. s. l. Mét. VIII. Entr. p. 282. Dieu est à lui-même l'objet immédiat de ses connaissances. . . . Une de ses pensées n'enferme point, comme en nous le néant de toutes les autres.

[2]) Réflex sur la prémot. phys. XIII. p. 93.

sed considerandum nobis est, Deum non coactum esse ab alio alienoque, sed a se ipso, a propria essentia sua; voluntas igitur est libera, quae cum ratione est una eademque et aeterna et immutabilis ut ea. Rationis leges Deus ipse mutare non valet [1]). Quamobrem noster affirmat philosophus, rationem non pendere a Deo, multo potius Deum a ratione, eum agere debere, id quod jubeat ratio; sed Deus dependet tali tantum modo a ratione, ut ratio ipsa sit ejus essentia atque in omnibus rebus essentia sit agens dominansque. Itaque ille liber est, nec dependet ab alio alienoque, nec cogitur; sed nihil velle potest nisi se ipsum h. est summum bonum vel rationem; rationale enim hoc loco est bonum atque divinum. Eodem modo voluntas est Dei potentia, creat enim, quia vult, nec opus ei est instrumentis, quare fit, ut voluntas intelligatur esse Dei vis creandi, a qua omnis pendeat creatura. Quamobrem ratio ipsa nunquam potest desinere, quod non desinit voluntas, quae aeterna est immutabilisque [2]). — Homo autem cum ratione con-

---

[1]) Entret. s. l. Mét. VIII. Entret. pag. 268. Or que Dieu soit la cause ou le principe de ses volontés ou de ses décrets, il n'a jamais produit en lui aucun changement. Car ses décrets, quoique parfaitement libres, sont eux-mêmes éternels et immuables; Dieu les a faits ses décrets ou plutôt il les forme sans cesse sur la Sagesse éternelle, qui est la régle inviolable de ses volontés et cf. L. VI. chap. V. Recherch. p. 24 β. Parce que Dieu n'est point sujet au changement, ni par conséquent les idées qu'il renferme.

[2]) Entret. s. l. Mét. VII. Entr. p. 239. La création ne passe point la conservation des créatures n'étant de la part de Dieu qu'une création continuée, qu'une même volonté qui subsiste et qui opère sans cesse.

junctus secundum hanc conjunctionem cognoscit summum bonum vel rationale vel relationes, quae inter res consistunt rationales; eodemque modo ei data est voluntas, vel inclinatio ad summum bonum vel rationale ducens secundum quam nihil aliud velle debet nisi hasce relationes, quae inter res ipsas aut inter res et Deum consistunt rationales; vult igitur homo nihil nisi quod Deus vult, ejusque voluntas minime abhorret ab hominis. Sed supra jam intelleximus, qua via hominis voluntas persaepe fiat inclinatio vel passio hoc est qua via obumbretur corpore afficiaturque negatione. Quidquid igitur homo vult, Deus vult in homine, Deus enim omne reale agit in homine, voluntas tantum nostri juris esse et a nobis pendere videtur [1]) revera est divina. Sin autem nostram voluntatem intelligimus ut actionis nostrae causam, erramus, nostra voluntas comitatur tantum actionem nostram causaque occasionalis est [2]), vera causa enim Dei voluntas. Unde autem oriatur peccatum, quaeramus? Peccatum, ait Malebranchius, nihil est; si peccamus, nihil agimus [3]), h. est non sequimur Dei volunta-

---

[1]) Recherch. L. VI. P. II. chap. III. p. 39 β. Or il me parait très-certain que la volonté des esprits n'est pas capable de mouvoir le plus petit corps, qu'il y ait au monde.

[2]) Ibid. L. V. chap. I. p. 318 α. Car c'est par l'action continuelle de Dieu, que nos volontés sont suivies de tous les mouvemens de notre corps et ibid. L. VI. P. II. chap. III. Une cause naturelle n'est donc point une cause réelle et véritable, mais seulement une cause occasionnelle et qui détermine l'Auteur de la nature à agir de telle et telle manière, en telle et telle rencontre.

[3]) Recherch. Eclairciss. I. p. 188 β. Voici donc que fait le pêcheur. Il s'arrête, il se repose; il ne suit point l'impression

tem. Omnem actionem realem in nobis efficit Deus; voluntate nostra vel voluntate Dei, quae fuit inclinatio ad summum bonum ducens; impellimur, ut faciamus bonum vel actionem realem, si sequimur hanc inclinationem; quod autem cum corpore conjuncti sumus, non sequimur semper hanc inclinationem, nihil igitur agimus si peccamus. Si nempe sequimur hanc inclinationem, ducimur versamurque ab una re deinceps in alteram continuo quia nulla res singularis sit summum bonum, sed tantum omnes res et relationes, quae inter res intercedunt rationales et secundum quas Deus ipse magis vel relaxatius res amat; quae ab una ad alteram rem erratio, ita ut in omnibus Deum vel rationem tantum quaeramus, revera est actio bona; sin autem in re singulari acquiescimus, volumus amamusque hanc rem tantum, quae nullo modo includit summum bonum, peccamus. Quo facto, voluntas nostra vel voluntas divina, quam natura essentiaque esse bonam divinamque inclinationem demonstravimus, fit inclinatio vel passio. Passio igitur et inclinatio gradu tantum diversae, nihil aliud sunt nisi voluntas bona divinaque, quae majori corporis colligatione obscuratur, vel quae corpore negatur. Corporis natura ut infra nobis elucebit, intelligitur ut merum nihil meraque negatio, quam corpus cum mente colligatum communicat cum iis, quaecunque in mente sunt vel cum mente conjuncta, ex. gr. cum ideis vel perceptionibus claris ita ut reddat sensibiles, et huic inclinationi ad bonum universum ducenti, ita ut haec negetur acquie-

---

de Dieu; il ne fait rien, car le péché n'est rien et ibid. 191 β. Et quand nous péchons, que faisons-nous? Rien.

scatque in re singulari [1]). Itaque peccati causa nec in voluntate, nec in libertate cum voluntate conjuncta est quaerenda, sed in passione vel inclinatione, quae iterum procreantur corpore. Corpus igitur, si per se consideratur, malum est vel vera peccati causa, ut ab asceticis medii aevi christianis affirmatur, carnem esse maximum hominis malum, gladio igniqne delendam. Quo modo iterum Malebranchius corporum mundique fines malitiamque dissolvat, infra ostendetur. Peccati causa corporibus materiaeque vindicata, Deus illa accusatione, in ipso malum esse, liberatus esse videtur, corpus enim vel mundus nullam habet relationem ad Deum necessariam, quamquam a Deo creatus, non ad ejus essentiam pertinet, multo magis extra Deum haeret tanquam omnibus, quae sunt infinita, orbatus privatusque. Quam difficultatem ut a Malebranchiano principio auferamus, frustra operam demus; mundus materialis semper Deo obstat et uno tantum loco Malebranchius religiose dicit, Deum omnes amplecti res et spirituales et materiales.

B. DE METAPHYSICA RERUM OMNIUM CONTEMPLATIONE.

§. 1. *a) De substantia.*

Cartesius substantiam definiverat, esse rem, quae ita existat [2]), ut nulla alia re indigeat ad existendum. Per-

---

[1]) Ibid. pag. 29 annot. I.

[2]) Cartesii princ. philos. P. I. p. 14.

bene intellexit, unicam esse substantiam nempe Deum; sed hanc substantiae notionem abstulit, quod et substantias constituit creatas, quae solo Deo egent ad existendum, atque in eo, quod hasce substantias creatas quasi ponit extra Deum, error maximus latet. Malebranchius omnes divisit res in duas partes [1]), aut percipi posse per se, aut non posse. Quodcunque per se percipitur, cujus perceptus non alterius rei perceptum involvit, et existat in se ipso, substantia est, aliae res autem intelliguntur ut substantiae modificationes; substantiae ideam haud necessario involvit alterius res idea. Malebranchium substantiae notionem, quamquam ex Cartesiana philosophia receptam, haud ita circumscripsisse, ut Cartesium, videmus, multo magis mutasse. Procul dubio Malebranchius, consequentius et acutius philosophans, si totum sequeretur Cartesium in substantia percipienda, minime tres apud eum offenderemus substantias. Id quod substantia nulla alia indiget re ad existendum, noster mutat dicens, substantiam existere in se ipsa [2]); nam mentes finitas ut corpora ad existendum Deo non egere nullo modo contenderet, dum in se existere posse mentes extra

[1]) Entret. s. l. Mét. I. Entret. p. 9. Tout ce qui est on le peut concevoir seul, ou on ne le peut pas. Il n'y a pas de milieu. . . . Or tout ce qu'on peut concevoir seul et sans penser à autre chose, c'est assûrément un être ou une substance et tout ce qu'on ne peut concevoir seul, ou sans penser à quelque autre chose c'est une manière d'être ou une modification de substance. cf. Recherch. Eclairciss. XII. p. 280 *a*.

[2]) Entret. etc. I. Entr. p. 10. Et comme une substance c'est un être qui subsiste en lui-même, l'idée d'une substance ne renferme point nécessairement l'idée d'un autre être.

Deum ubique fere demonstrat. Si vero mens finita cum Deo essentialiter conjuncta est, nihilominus tamen extra Deum existit in se, quamquam alia parte mentes in Deo ipso inesse interdum dicuntur. Praesertim corpora ne necessariam quidem habere relationem ad Deum [1]), haud satis commemorare potest, ita ut finita, detestabilia, mala et tanquam nihil extra Deum in se consistant. Nihilominus corpora ad existendum Dei consensu egere ut mentes finitae satis superque probat, sunt enim et creata et a Dei voluntate semper dependent atque existunt tantum, quod Deus vult. Utramque substantiam finitam percipe per se, de subjectiva Malebranchia mente dici potest, si enim hasce substantias, quod spectat ad existentiam ab alia re pendent, eodem modo quod spectat ad essentiam vel ad perceptum, existentia enim ab essentia nunquam est separanda. Itaque existentiae indigentia essentiae vel perceptus indigentia fiat necesse est, ita ut nulla res per se percipi possit, quae alia re ad existendum indiget. Sicut apud Cartesium tres nobis occurrunt substantiae, nempe infinita substantia, quae est Deus, et duae finitae, mens et extensio materialis. Spinoza demum hanc repugnantiam dissolvit, id quod hic non pendet ab alia vel quod spectat ad existentiam, non pendet, quod spectat ad essentiam. Substantia indiget alterius rei nec ad existendum nec ad essentiam [2]), unde sequitur, ut substantia in se sit h. e. causa existentiae suae [3]),

---

[1]) Traité de la Nature et de la Grâce P. I. Addit. pag. 2.

[2]) Spinozae Ethic. P. I. Defin. III.

[3]) Ibid. Proposit. VI. et Demonst. et Coroll. et Propos. XIV. et Demonst. et Coroll.

et per se concipiatur h. e. causa essentiae suae [1]) et intelligatur causa sui, quia existentia non separanda sit ab essentia. Itaque substantia una tantum existere potest, et utraque substantia finita non est causa sui. Utriusque substantiae finitae si essentia apud Cartesium et Malebranchium non est pendens atque causa sui, quia per se percipi possit, existentia autem pendet a substantia infinita, a qua sit creata, Spinozae substantia est res, quae est causa existentiae et essentiae suae, scilicit causa sui in universum.

b) De modificationibus.

Quidquid est, aut per se potest, aut in alia se debet concipi. Illud est substantia, hoc autem sunt modificationes [2]). Modificatio igitur nec per se existit nec per se concipi potest, multo magis modificationis conceptus nos ad alteram rem ducit, in qua modificatio est, quaeque revera intelligenda est ut modificationis natura. Species sola est [3]) modificatio, per quam substantia apparet, ita ut substantia ipsa nec mutetur, nec afficiatur. Unde sequitur, ut species vel modificatio substantiae ipsi externa sit indifferensque. Deo autem non attribuuntur modificationes, quia nullam habet speciem, est enim ens absolutum et sine restrictione, sed substantiis finitis sunt

---

[1]) Ibid. Proposit. XX. Demonstr. et Coroll.

[2]) Cf. Entret. s. l. Mét. I. Entret. pag. 9.

[3]) Ibid. pag. 10. Comme la modification d'une substance n'est que la substance même de telle ou telle façon etc.

modificationes, quia apparent neque alias apparere possunt ac speciem habentes. Malebranchius quum haud acutius fusiusque explicuerit hasce perceptiones, inprimis caremus ad cognitionem relatione modificationis.

Quum autem omnes consideremus res, quae spectant ad has distinctiones metaphysicas, tres nobis occurrunt, ut jam supra demonstratum est, substantiae, scilicet finitae duae et una infinita, quidquid existit aliud modificatio est unius inter has substantias ex. gr. color, odor, calor, aliae, sunt mentis modificationes, figurae autem extensionis. Quid sit autem idea, quaeramus, utrum substantia, an modificatio? Malebranchio haec quaestio ne in mentem quidem venit, ideae enim inhaerent in ratione aeterna, quae porro in Deo ipso inest; ideae tamen non sunt Dei modificationes, Deus enim caret modificationibus, nec sunt mentis modificationes, quia infinitae a mente finita non possint procreari, nec extensionis materialis; huc accedit, ideas esse infinitas immutabilesque, modificationes autem esse nihil nisi speciem substantiae, sub qua appareat, quaeque species appareat; infinitum autem minime apparere. Eodem modo ideae esse non possunt substantiae, praesumuntur enim tres tantum substantiae. Magnam igitur difficultatem in his rebus offendimus, quam Locke jam vituparavit [1]). Sin autem ideae singulae percipiuntur ut ortae ex restrictione rationis modificationes sunt rationis vel Dei ipsius, id quod Malebranchius quoque refutat.

---

[1]) Cf. Locke et Leibnitzium: Erdmanni editio oper. philosoph. Leibnitzii P. II. LXVI. Remarques sur le sentiment du P. Malebranche etc. p. 450.

§. 2. *De realitate et de nihilo.*

Sicut philosophia Malebranchii universa cum sententiis mixta est theologicis, sic in primis de realitate et nihilo, de bono et malo philosophans persaepe maximis versatur in tenebris, quas modo possumus declarare ex ejus philosophandi ratione universa. Inter substantias unam vidimus infinitam, alias autem finitas atque ab infinita creatas. Quae substantiae finitae nihil sunt nisi solae facultates, ut de extensione materiali infra magis intelligemus, quodcunque in iis est agens efficaxque percipiendum est ut Dei actio [1]; Deus enim essentialiter cum mente conjunctus huic omnes attribuit ideas suas et voluntatem, communicatque cum materia ipsa perfectiones multas [2], nempe extensioni dat figuras atque motionem. Passivitas sola est rei finitae, activitas Dei solius, hominis enim cogitatio et voluntas Dei cogitatio et voluntas est revera, et materiae figurae motioque ab eo efficiuntur. Activitas igitur est realitas, passivitas autem nihil; hic igitur habemus perceptiones identicas, partim activitatem vel infinitum vel realitatem, partim passivitatem vel finitum vel nihil. Attamen substantias finitas, quamquam per se passivas atque merum nihil, non creavit Deus ut passivas tantum et nihil, sed in creatione jam

---

[1]) Recherch. L. I. chap. I. p. 5 *β*. Car la matière est toute sans action . . . parceque c'est Dieu qui lui imprime son mouvement et qui règle sa détermination.

[2]) Entret. s. l. Mét. Entr. II. p. 47. Dieu ne communique pas sa substance aux créatures il ne leur communique que ses perfections.

cum iis communicavit perfectiones suas vel realitates, ita ut substantiae finitae omnibus realitatibus privatae orbataeque nunquam existant neque unquam existerint. Iterum abstracta existentiae et essentiae separatio nobis obvenit, quae ad omnem Malebranchii philosophiam pertinet; quod spectat ad existentiam substantia finita haud passiva est, sed quod ad essentiam passiva modo, quae essentia autem jam in creatione conjuncta est cum realitate, quin etiam in mente essentialiter conjuncta. Quod duo mundi, scilicet realitatis et nihili, abstracto modo separantur theoretice, practice haec difficultas semper dissolvitur. Etiamsi autem nihil existens realitate affectum sit, minime realitas nihili particeps est, multo potius in Deo nullum inest nihil, nec ulla invenitur passivitas, ut jam Cartesius contenderat Spinoza consentiente.

b) De bono et malo.

Itaque omnia finita per se mala, omnia infinita e contrario per se bona [1]) esse haec philosophia nobis demonstrat; unde sequitur, ut notio realitatis eadem sit quae boni, nihil idem sit quod malum. Finitum vero vel potius substantiam materialem malum esse jam inde apparet [2]), quod supra disserui de peccati origine, causam

---

[1]) Recherch. L. V. p. 342 β. L'esprit est comme situé entre Dieu et les corps, entre bien et le mal, entre ce qui l'éclaire et ce qui l'aveugle etc. et Traité d. l. Natur. et d. l. Grâce P. I. p. 2.

[2]) Vid. pag. quae antecess. annot. l. et Traité d. l. Nat. et d. l. Grâce P. I. pag. 2. Add. et pag. 62. annot. uno loco refutat id quod vero ex tota philosophandi ratione sequitur cf. Recherch. L. V. chap. XII. p. 385 β. car encore que les choses sensibles ne puissent être ni bonnes ni mauvaises etc.

erroris nequidquam ex voluntate et libertate hauriendam esse, sed ex eo, quod mens humana cum corpore consociata inclinationem Dei munere acceptam et per se bonam adumbrat atque obcaecat. Unde elucet, nihil absoluti mali existere, sed malum non nisi cum bono conjunctum esse, quandoquidem jam in creatione a Deo finitae substantiae assignatae sint perfectiones, cujusce modi perfectiones motionis leges infinitae et diversae configurationes sunt habendae. Quamquam vero supra hoc probavimus, finitum per se malum esse, tamen animadvertendum est, mentem, etsi ipsam finitam, non per se malam existimari debere, sed hac de causa eam depravari, quod ejus cum corpore societas vinculum, quo cohaereat cum substantia infinita, relaxet atque remittat. Immo vero noster affirmat, mentem post mortem omnibus corporis vinculis liberatem, omnino participem esse posse Dei realitatis eaque de causa etiam omni exemptam esse malo, id quod, mente per se mala, fieri non posset; ita enim mentis natura indolesque deleretur, quae quidem mala tantum esset; quae res nullo pacto cum immortalitatis notione componi potest. Bonum igitur infinitum et realitas illum alterum formant mundum materiae oppositum, mens vero velut utriusque mundi vinculum nobis apparet, et quamquam inter infinitum et inter finitum nihil societatis existere vult Malebranchius, tamen et hoc loco malum finitumve particeps esse infinitatis et realitatis, quod ad existentiam spectat, cernimus et bono affectum. Hic quoque essentiam et existentiam separatas esse patet, substantiam materialem enim malam et merum nihil esse, si essentiam spectamus, si existentiam vero, confestim eam bono temperatam. Finitum per se ma-

lum esse, jam ex medii aevi et asceticorum opinione percipitur, carmen vel Graecorum σάρκα prorsus malam esse, id quod in Malebranchii quoque philosophia inest, quamquam de mali notione non satis firma atque fixa ratio ejus videtur. Itaque finitum vel nihil, simulatque in existentiam prodit, illico realitate vel infinitate conjunctum est, singulaeque res eo modo inter se differunt [1]), quo realitatis plus minusve in se continent. Qua quidem differentia res arctiore vel solutiore modo cum Deo, res secundum majorem minoremque realitatem plus minus amante, consociatae sunt, eadem lege nos homines quidem eas deligere oportet. Si ideae autem, quamvis per se infinitae iisdem quoque, quibus res materiales conditionibus inter se discrepare debeant, minores ex iis negatione affectas esse necesse sit. Quae ideae quum in Deo ipso contineantur, in eum sane inferrent negationem, Malebranchio licet affirmanti, omnis negationis Deum esse expertem. Hac de re autem supra satis superque disserui.

§. 3. *De infinito et finito.*

Quamquam partim infinitum, bonum, reale, partim malum, infinitum, nihil eodem valere esse ex philoso-

---

[1]) **Recherch. Eclairciss. X. p. 258 *β*. Il est évident que les perfections qui sont en Dieu, lesquelles représentent les êtres créés ou possibles, ne sont par toutes égales, entant que représentations de ces êtres etc. et ibid. p. 259 *α*. Il faut donc considérer, que Dieu s'aime par un amour nécessaire et qu'ainsi il aime d'avantage ce qui est en lui qui représente ou qui renferme plus de perfection que ce qui en renferme moins... Or cet ordre immuable, qui a force de loi à l'égard de Dieu même a visiblement force de loi à notre égard.**

phandi ratione elicere possumus, tamen logicam earum notionum vim non satis firmam et stabilem, sed magna obscuritate obvolutam invenimus; nempe notiones infiniti, finiti, aeterni, restricti, non restricti, dependentis, non dependentis, modo promiscue adhibentur et arbitrio inter se permutantur, modo finibus quibusdam circumscriptae sunt. Infinitum, finitum et aeternum, semper fere quantitativam vim habent, illa maxime spatium spectant, hoc tempus, neque tamen haec differentia constat. Notio vero non dependentis, quam nominare volumus independentiam (venia sit nobis ita Malebranchii „indépendance" vertendi) et quantitativae et qualitativae est naturae, ita ut ea ad veram infiniti notionem perveniamus [1]). Itaque independentia aeternitatem in se necessario complectitur, non haec illam. Quarum notionum dilucidiorem explicationem apud nostrum haud reperis philosophum. Quid igitur sibi velint hae categoriae, sola ex adhibitione earum enucleare possumus, qua intelligitur, quantitativo modo eas percipi ab eo solere. Affirmat, ut exemplum afferam, noster, mundum non esse essentialem ex Deo emanationem, Deum necessitate non coactum esse, ut mundum creaverit; nunc vero, quum creatus sit, plane eum ex Dei nutu et voluntate pendere: neque igitur esse aeternum, aeterno enim modo solum Deum independentem existere, nihilominus mundum desinere debere, quum im-

---

[1]) Traité d. l. Nat. etc. pag. 15. Addit. Je veux que l'Éternité ne renferme point l'indépendance, mais l'indépendance renferme l'Éternité: car rien ne peut être indépendant, sans être éternel et ibid. p. 14 IV. L'éternité est le caractère de l'indépendance.

mutabilis sit Dei voluntas [1]. Hac via in notionem quandam incidimus, mentis immortalitatis similem; in eo igitur duae substantiae finitae, altera mentis altera mundi, inter se consentiunt, quod utraque creata initio laborat, attamen existere non desinit. Quae logicae categoriarum repugnantiae ex essentiae et existentiae abstracta separatione iterum emanant vel ex methodi indigentia, quae inprimis in rebus metaphysicis tractatis molesta nobis accidit.

CAPUT TERTIUM.

A. DE REBUS MATERIALIBUS.

Ex ea philosophiae Malebranchianae natura, qua res materiales per se inanes esse et merum nihil [2], eodem modo per se invisibiles [3] vel nullam habere cum altera

---

[1]) Ibid. IV. pag. 14. Si vous demeurez d'accord que le monde ne peut être une émanation nécessaire de la divinité; vous verrez bien qu'il ne fallait pas qu'il fût éternel, quoiqu'il ne doive jamais finir. L'éternité est le caractère de l'indépendance, il fallait donc que le monde commençat. L'anéantissement des substances est une marque d'inconstances dans celui, qui les a produites; elles ne finiront donc jamais.

[2]) Traité d. l. Natur. etc. P. I. p. 2. Mais le monde n'est pas digne de Dieu: il n'a même avec Dieu aucune proportion, car il n'y a nul rapport entre l'infini et le fini . . . Or le monde par rapport à Dieu n'est rien. Cf. pag. 57. annot. 1

[3]) Réponse à Mr. Regis chap. II. p. 162. Car il est clair, que l'étendue matérielle ne peut agir efficacement et directement dans notre esprit. Elle est absolument invisible par elle même. Cf. Eclairciss. VI. pag. 212 *a*.

substantia conjunctionem, supra cognovimus, jam elucet, hisce rebus eum assiduam operam non navasse; admodum pauca enim de his notionibus ab eo disseruntur. Materia apud eum a Deo creata finitaque substantia est, necessario ex Deo eam emanare non vult, attamen quemadmodum a Dei voluntate creata est, ita continuo ab eo pendet. Dei voluntas potestas Dei est, vult mundum esse et est, nullus instrumentis ad creandum ei opus erat, vult eum non desinere, neque desinit. In eo quidem repugnantia nobis obviam venit, quum Malebranchius mundo esse initium dictitet, Dei enim voluntas sempiterna atque immutabilis est, qui si semel mundum existere voluit, idem semper voluisse debuit. Tum sane necessaria et sempiterna Dei emanatio est mundus, quum vero malus et merum nihil esse dicatur [1]), malum necessariam ex Deo petat originem. Quemadmodum in mente humana nullus motus, nihil vigeris et mera passivitas tantum inest [2]), sic materia has duas tantum facultates in se amplectitur, alteram figuras accipiendi, alteram ut moveri queat, itaque a Deo solo, ejusque sempiterna voluntatis immutabilis creatione, qua figurationes, qua motio in ea efficiuntur. Duplex iterum figuras accipiendi facultas materiae est, quum ille ipsas figuras duplici ratione contempletur, et secundum internam earum naturam et secundum externam, has figurarum voce significat, illas

[1]) Recherch. L. I. chap. pag. 5 *β*. Car la matière est toute sans action ...

[2]) Recherch. pag. 3 *β*. chap. I. C'est que de même que la faculté de recevoir différentes figures et différentes configurations dans les corps et entièrement passive et ne renferme aucune action.

configurationum. Sicut mentis essentia naturaque cogitare est, sensus vero, imaginatio, voluntas non nisi ut cogitandi modificationes intelliguntur, ita materiae natura est extensio materialis neque igitur singulae res aliud significant ac unius extensionis modificationes, id quod jam antea Cartesius dilucidius explanavit. Quamobrem quo singulae res inter se distinguuntur, vel figuris vel configurationibus vel motu efficitur. Vero enimvero quum Deum unicus auctor sit harum rerum, voluntate immutabili ut materia vel extensio continuo tenore in singulas res sese formet, efficit. Attamen apud nostrum materiae facultas occurrit, ut moveatur, motu enim figurae et configurationes oriri videntur, ita ut materiae facultas figuras accipiendi ex originali illa facultate perveniat. Sola igitur disciplina, cujus est in rebus materialibus versari, mathesis est, quum materiae modificationes non nisi in spatiis [1]) et distantiis consistant [2]). Quamquam Malebranchius existentiam rerum materialium probari nullo modo posse, perhibet, sed nos eam ex bibliis sacris re-

---

[1]) Physica igitur, quae calorem, colorem, odorem, alias rerum perscrututatur qualitates, errore laborare a Mal. putatur, quod hae qualitates modificationes mentis tantum sint; physica psychologica quadam est indole.

[2]) Discernit nempe noster philosophus relationem et naturalem (révelation naturelle) et particularem (rével. particulière) cf. Entret. s. l. Mét. I. Entret. pag. 15.... Mais pour voir le monde matériel, ou plutôt pour juger, que ce monde existe, car ce monde est visible par lui-même, il faut par nécessité que Dieu nous le revèle etc. Or Dieu nous revêle l'existence de ses créatures en deux manières, par l'autorité des Livres Sacrées et par l'entremise de nos sens etc.

velatione particulari cognoscere [1]), tamen res materiales notissimas [2]) nobis esse dicit, immo vero vel Deo nobis notiores, Dei naturam quum penitus perspicere nequeamus.

B. DE MENTIS CUM CORPORE CONJUNCTIONE.

Mentis substantia singularis cum substantia materiali non penitus colligata est, id enim, quod ratione ulla mentem attingere debet, jam mentis esse oportet, quod corpus, corporis. Corpora per se neque in mentem agere neque conspici possunt; conspicimus enim corpora nonnisi idearum opera vel potius ideas conspicimus, quum corpora esse ideis respondentia [3]) atque cum iis congruentia ne affirmari quidem liceat sed solis literis sacris credendum sit [4]). Attamen non necesse est, ideae cuique corpus externum convenire et cum ea congruens exstare; magnis qui ita putant, implicantur erroribus.

---

[1]) Ibid. Entret. I. p. 11. Toutes les modifications de l'étendue ne consistent que dans les rapports de distance; et ibid. p. 195. et 197. ut supra.

[2]) Réponse à Mr. Regis. L'idée par exemple de l'étendue est si claire, si intelligible, si féconde en vérités, que les Geomètres et les Physiciens tirent d'elle toute la connaissance qu'ils ont de la Géometrie et de la Physique. — Et cf. p. 43, Annot. 2.

[3]) Recherch. L. III. P. II. chap. I. pag. 204. cf. pag. 43. Annot. 2.

[4]) Vid. pag. quae antecess. Annot. 2.

Est igitur mundus e corporibus constans, cujus natura interna extensio est. Quorum corporum pars quaedam Dei nutu arcte nobiscum juncta, certis a Deo impositis normis atque legibus est. Mens igitur corporum existentiam eo cognoscit, quia ipsa cum corpore consociata est. Corpora extrinsecus posita pulsu motuque in corpus humanum agunt, corpus humanum cum mente cohaerens in mentem agit, sed quo pacto intelligere non possumus; Deus ipse immutabili sua id efficit voluntate. Hac vero via corpora externa in corpus nostrum, corpus nostrum in mentem agit. Corpora externa [1]) pulsu agunt in nervos, inde ab intimo cerebri recessu, a remotissimis glandulae cerebralis locis in omnes partes per totum corpus sese diffundentes atque in corporis superficiem exeuntes. Nervi vero cum spiritibus animalibus quibusdam conjuncti sunt, qui materiales et ipsi tamen materia tenuissima maximeque mobili, sanguinis tenuissimae [2]) velocissimaeque partes sunt. Qui spiritus animales, diversi secundum diversorum hominum aetatem vel naturam, postquam pulsi motique sunt, in glandulae cerebralis partem spiritualem impetum facientes eo efficiunt mentis activitatem. Qua via si externa corpora in mentem agunt, exoritur idea, cum sensu conjuncta; idea nascitur, quia, quum mens cum Deo consociata sit, mentem ex Deo habeat; sensus contra per Deum ipsum efficitur [3]), quo compertum habeamus, ideae rem respon-

[1]) Recherch. L. I. chap. XIII.

[2]) Recherch. L. II. chap. II. Tout le monde convient assez, que les esprits animaux ne sont que les parties les plus subtiles et les plus agilées du sang etc.

[3]) Ibid. L. III. P. II. pag. 220 β.

dére materialem extra nos. Id vero tenendum est ex Malebranchii philosophandi ratione, cogitationum causam non esse pulsum corporum; hic vero legibus materialibus in fibras quidem et spiritus animales, non vero in mentem ipsam agere potest; pulsus contra vel motus corporum Dei voluntate efficitur; Deus enim materiam sua voluntate motu donavit; voluntas Dei ipsius potentia est, quum vero immutabilis sit, nunquam igitur nolit, ut materia moveatur, movetur materia. Itaque causa motionis est Dei voluntas. Simul vult Deus, mens ut et ideam et sensum possideat, qui sensus mentis modificatio est, corpora si inter se alterum ab altero compelluntur. Duplex igitur Dei voluntas et cogitationes efficit, et ut impressiones in cerebrum semper cum idea et sensu conjunctae sint. Tres graves causae conjunctionis sunt quae intercedit inter impressiones in cerebrum interque ideam [1]), prima atque propria causa voluntas Dei est, secunda causa occasionalis est temporis identitas, quia eodem tempore et impressio fit et idea praesens est, tertia voluntas hominum. Secunda causa desiderat primam, tertia et primam et sequentem; attamen haud semper hominis voluntate opus est. Quandoquidem alacri motu spirituum animalium idea semper consociata est cum sensu, si adsunt res, eas sensibus non cognoscimus, quales sint, sed idea purae res continentur, mente modificantur et quasi adumbrantur, quia mens quidem modificationes ad illas adjicit. Quo pacto res coloribus adspersus conspicere, odorem, sonitum, dolorem, alia quae mentis modificationes sunt, sentire nobis videmur.

---

[1]) Recherch. L. II. P. I. pag. 93 *a*.

Sin res non praesto sunt, solamque earum imaginem animis nostris injicimus, extrinsecus spiritus animales non excitantur, sed interno aliquo pulsu in res, ut supra agunt. Imaginationis alacritas [1]) pendet a tenuitate et velocitate spirituum animalium, qui praesertim in liberis atque mulieribus tenues et veloces sunt, in viris minus atque cum aetate crescente deficientes. Quamquam Deus motionem spirituum naturali via efficit, tamen, ut in primis Geulingius pronuntiavit, actus spirituum animalium in mentem, si abstracte hae duae substantiae inter se secernantur, miraculum est. Itaque causae cogitandi occasionalis motus spirituum et temporis identitas sunt; in agendo hominis insuper accedit voluntas, quae, si nasci debet, necesse est, jam exstare cogitationes. Omnium cogitationum, actionum, motionum causa propria atque vera Deus ipse vel Dei voluntas, quae quum eadem sit quae ratio aeterna, sequitur, ut quaeque cogitatio, actio, motio indole sit bona atque recta.

---

[1]) Ibid. chap. I. pag. 83 *a*.

VITA.

Natus sum ego Carolus Henricus Ludovicus Retslag Neobrandenburgii, oppido Strelitzo Megalopolitano, d. XXI m. Julii anni MDCCCXXI patre, advocato, matre Philippina e gente Tiebeliana. Mox altero anno exacto, quum patri consulis Nauensis munus mandatum esset, carissimam matrem praematura morte absumptam lugebam. Usque ad duodecimum annum Naueni imbutus sum literarum elementis; deinde patriis penatibus relictis commissus sum Gymnasii Neo-Strelitziensis disciplinae atque institutioni erudiendus, ubi patruo duce gravioribus operam dedi studiis. Paucis annis peractis ad parentes redii, qui interea Berolinum sibi elegerant domicilium, ut hic Gymnasii Colonici, doctissimo Augusto directore, praeceptoribus uterer. Cujus scholae ad classem primam provectus, quod perpetua debili valetudine impediebar, quominus in continua incumberem studia, graviter molesteque ferebam. Aestate anni MDCCCXL in periculosum incidi morbum, maximis vero medicorum studiis aegre convalenscens, ut purum traherem aërem, Stendalium me contuli ad cognatos, ibique Haackio duce testimonium maturitatis nactus, Berolinum reversus sum atque civibus universitatis literariae adscriptus studiis philosophicis et philologicis operam dare apud me constitui et V. V. ill. ill. phi-

losophicas Gableri, Trendelenburgii, Steffensii, Werderi, Micheletii, philologicas Boeckhii, Lachmanni, Zumptii, Boppii, historicas Rankii, geographicas Ritteri et Muelleri scholas frequentavi. Inde ab autumno anni MDCCCXLII doctissimos acutissimosque Academiae Halensis philosophos Schallerum, Hinrichsium, Erdmannum et Dunckerum historicum audivi atque anno post Berolini academica perfeci studia.

Omnibus hisce viris illustrissimis, doctissimis maximam habeo gratiam, quam nunquam me neglecturum esse promitto.

THESES.

1. Philosophiam Malebranchianam, quod spectat ad ejus naturam interiorem, a Spinozae principiis abhorrere nego.
2. Ad philosophicam criminis notionem non pertinere, quod legem ab aliqua civitate latam laedit.
3. Rei indoli repugnat criminum in privata et puplica divisio.
4. Aristotelis dogmata philosophica ad doctrinam Christianam propius accedere quam Platonis.
5. Vinculum, quo logicae institutiones cum philosophicis physices principiis apud Hegelium continentur, frustra a nonnullis vituperari.
6. Feuerbachii adumbrationem philosophiae futurae ab ipsa philosophiae natura et indole abhorrere.